




4831. III. L. 8.

FRANCISCI SAMUELIS KARPE
CAES. REG. PHILOSOPHIAE IN UNIVERSITATE VIENNENSI
PROFESSORIS

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIAE DOGMATICÆ
PERPETUA
KANTIANÆ DISCIPLINÆ
RATIONE HABITA.

TOMUS TERTIUS
METAPHYSICAM
COMPLECTENS.



VIENNÆ
SUMTIBUS CHRIST. FRID. WAPPLER ET BECK.

1804.

WEST HONOR

LOUISIANA, FORTIFICATION

ARTICLE

ARTICLE OF DISCIPLINE

ARTICLE OF DISCIPLINE

ARTICLE OF DISCIPLINE

ARTICLE OF DISCIPLINE

ARTICLE OF DISCIPLINE



ARTICLE OF DISCIPLINE

ARTICLE OF DISCIPLINE

ARTICLE OF DISCIPLINE

03001970

PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ

P A R S T E R T I A

M E T A P H Y S I C A .

PHILIPSONE TINO ATION

AT TAT 884

ROSEBUD 110

METAPHYSICES

PROLEGOMENA.

I.)

Origo et necessitas metaphysicæ dogmaticæ.

§. 1.

In rerum universitate non omnia *relativa* esse posse, quæ per alia, vel in aliis, vel ab aliis sint, verum quædam *absoluta et extrema* esse debere, quæ ipsa sint, aut quædam absoluta vel elementa eorum, quæ per alia, vel subiecta eorum, quæ in aliis sint, aut quoddam absolutum vel totum, vel principium eorum, quæ contingenter existunt, quæ adeoque quorundam relative existentium seriem terminent, ex ipsa notione et existentia relativorum existentia absolutorum seu extremorum quorundam entium correlata invicte consequitur. Hæc entia *absoluta sensu theoretico* dici debent, ut distinguantur ab iis, quæ *sensu practico*, i. e. in entibus moralibus absoluta sunt, uti sunt voluntatis horum entium libertas et lex, virtus et felicitas.

§. 2. Ratio humana ad aliorum ex aliis rationem reddendam nexumque perspicendum comparata et tendens in rebus relative existentibus etiam propterea subsistere nequit, quia ad argumenti suæ cognitionis *absolutionem* irretente fertur;

tur; quare jam antiquissimis temporibus aliquid sensu theore-
tico absolutum esse debere statuit, adeoque ejus, quam
nunc Critici philosophi convitii causa, dogmaticam di-
cunt, metaphysices fundamenta jecit. Sed in condenda
hac scientia illico in devia et avia prolapsa est, quia entis
relative existentis, ad quod vi naturæ suæ aliquid absolute
existens requirit, naturam et genera nondum satis cogni-
ta et explorata habuit.

§. 3. Ex his alicujus summe speculativæ scientiæ
origo, inevitabilitas et realitas seu veritas elucescit, ni-
mirum illius, quæ entium sensu theoretico absolutorum
existentiam, genera, characterem et aliquas proprietates
argumentando eruat; hæc scientia dicitur *Metaphysica
theoretica sensu dogmatico*, opposita novæ Metaphysicæ theo-
reticæ sensu critico sumtæ, pro tali scientia Metaphysi-
cam ipse jam ejus primus conditor Aristoteles ha-
buit. Hunc characterem Metaphysica in omnibus suis con-
versionibus retinuit, atque in omnibus, quæ a se invi-
cem valde abluunt, metaphysicorum systematibus ob-
scurius vel apertius gerit. Eundem Metaphysices cha-
racterem etiam nominis etymologia innuit, vi ejus me-
taphysica est scientia eorum, quæ sub sensus non ca-
dunt, attramen ab his, quæ sub sensus cadunt, tamquam
relative existentibus arguuntur; Metaphysica nimirum
ea dicuntur, quæ sunt aliquid absolutum, sive sensu theo-
retico, sive practico; quare etiam Metaphysica vel est
theoretica seu proprie sumta, vel practica, quæ proprie
est philosophia practica universalis seu prima.

Partes, usus et vindicia metaphysicæ dogmaticæ.

§. 4. Absolutum sensu theoretico duplicis, nimirum vel analytici vel synthetici generis est. Analytice absolutum porro duplex est, *primum* illud, quod non uti corpus ex aliis tamquam suis elementis constat et resultat, sed ipsum est intimum, priinitivum, per se existens, et *absolutum elementum* omnis concretionis corporeæ seu materialis; *deinde* istud, quod non uti cogitatio, et vis cogitandi, tamquam modificatio et proprietas suo subjecto inest seu inhæret, sed ipsum per se existit, atque merum seu *absolutum subjectum* est. Entia analytice absoluta nimirum absoluta *compositorum* elementa et *inhærentium* subjecta sunt entia proprie seu vere *per se existentia*, seu *substantia*, οὐτως οὐτα; quare doctrina seu scientia de eo, quod est analytice absolutum, *proprie est ontologia* ab ontologia logica et morali (anatomia muneris cogitandi et eleutheronomia) diversa; synthetice absolutum pariter duplex est, *primo* illud, quod non est totum relativum, adeoque pars majoris totius, uti sunt corpora mundi totalia eorumque partialia systemata, quod adeoque totum absolutum est, complectens omnia corpora cælestia cum suis incolis, quodque *universum* ο' κοσμος dicitur; *deinde* istud, quod principium aliorum est, quin ipsum principium sui habeat, adeoque *causa* omnium contingenter existentium *absoluta*, seu *auctor universi*, ο' Θεος; quare doctrina seu scientia de eo, quod est synthetice absolutum, seu de universo universique auctore recte *Cosmotheologia* dicitur. Est itaque scientia de entibus theoretice absolutis, sive analytice sive synthetice talibus, seu *Metaphysica* sensu dogmatico accepta, possibilis, eaque
non

non nisi duabus partibus, nimirum Ontologia et Cosmotheologia continetur.

§. 5. Nequit ratio naturæ indagatrix et interpres, atque voluntatis legislatrix et rector experientiæ regione circumscribi, verum necessario ad eorum, quæ sunt, omni experientia, nimirum mere intelligibilium et absolutorum cognitionem aspirat, in qua experientiæ usus nec ducis et custodis, nec judicis et vindicis auctoritatem sustinere potest; quare metaphysica opus est, ut perspicatur, qua ratione mens humana res absolutas attingere, eorumque aliquam cognitionem recte sibi vindicare possit. Dantur scientiæ utilissimæ in ejusmodi principiis et objectis desinentes, quæ profundiora fundamenta et superiora objecta arguunt; quare maxima earum scientiarum auctoritas et utilitas existimari debet, quæ illa principia et objecta indagant et aperiunt, ubi, uti dicunt, desinit medicus, jurista, politicus et theologus, ibi incipit physicus, psychologus et ethicus, ubi hi desinunt, ibi incipiunt logicus et metaphysicus; quare omnium scientiarum plurimum interest, Logicam et Metaphysicam diligentissime coli, atque a futuris illarum scientiarum cultoribus recte percipi; præterea Metaphysica principia tradit, quæ unice gravissimis veritatibus fundandis et erroribus refellendis inserviunt. Sed vociferantur metaphysicæ dogmaticæ adversarii, hanc ipsam scientiam esse, quæ rationi nimium adroget, eamque in gravissimos errores deferat et quidem inevitabiliter, quia in metaphysicæ ditione sensibus inaccessa, experientia nec basis, nec ducis, nec custodis usum rationi præstare possit. Sed historia philosophica teste errores metaphysici, uti est materialismus, fatalismus, atheismus, pantheismus, epicureismus &c, sunt antiquiores, quam

metaphysica scientifica, atque tantum ex hujus principiis refelli retundique possunt. Quod si recentiores metaphysici illos errores defenderunt et auxerunt, id propterea factum est, vel quia data Metaphysicæ, i. e. res relative existentes ignorarunt, falsove conceperunt, vel quia ejus quæsitæ, i. e. res absolutas temere aut inconsequenter determinarunt.

3.)

Cur Kantius Metaphysicam dogmaticam deceptricem et falsam esse contendat?

§. 6. Omnibus aviis et deviis præterquam illis criticis in Metaphysica jam tentatis, cum tandem quidam philosophi maxime ecclesiastici Metaphysicam, tamquam scientiam entium sensu Theoretico absolutorum considerare et pertractare incepissent, Kantius in Critica rationis puræ 1781, atque in prolegomenis ad veram metaphysicam inveniendam præmittendis 1783, inventum plane novum, mirum omnibus et grave plurimis prodidit, nimirum rationem in Metaphysica dogmatica, entium per se et absolutorum cognitionem sibi vendicante, se ipsam fallere, quia quid ejus humeri valeant quid ferre recusent ignara, atque facultatis suæ potentiam non dimensa suas ideas de iis, quæ sunt meræ suarum functionum nimirum syllogismi categorici, disjunctivi et hypothetici formæ pro veris entibus habeat. Quare metaphysicam veram non esse scientiam illorum quæ sint per se, seu *ontos onta*, verum istorum quæ in cognitione de rebus sub sensus cadentibus sunt a priori, adeoque a priori sciri possunt; Metaphysicam vero dogmaticam errorum nidum et officinam esse dicit, quia quid et qua ratione mens humana cognoscat, non ab objectis, verum a cognoscen-

scendi facultatis natura pendere, adeoque objecta *omnia sua necessaria prædicata* a cognoscendi facultate habere contendit.

§. 7. Sed *primo* conceptus et conviçtiones de entibus illis absolutis non a categorici, disjunctivi et hypothici syllogismi formis, verum a notionibus *illorum quatuor relativorum* objecto minime vacuis argumentando ducti sunt. Deinde critica Kantii *ovrcois ovra* pro talibus habet, quæ a ratione humana plane attingi et erui nequeant, adeoque penitus incognita et $= x$ sint; attamen facultates, facultatumque nativas formas velut rerum modulos se nosse jactat, quæ tantum *entis per se* proprietates et non meræ alicujus ideæ prædicata esse possunt. Quare critica Kantii systematice omnia cognoscibilia in fasciculos formarum nihil formantium, et in farragines intuitionum coecarum, in quibus nihil se intuendum præbet, convertit, quod Humii scepticismus tantum raphsodice fecit. Præterea Kantius cum contendit cognoscendi facultatem et cognitionem se objectis non attemperare, nihil aliud intelligere potest, quam nostros de entibus mere intelligibilibus conceptus non entium illorum in mentem actione effici, atque eorum aliquas effigies in mente esse, quod alioquin nullus dogmaticorum celebrium affirmavit. Denique contrariæ Kantii assertionis, nimirum *objecta se cognoscendi facultati conformare debere*, hæc vis certe esse nequit, quæcunque objecta et quidquid in cognitione nostra pro objectivo habetur, adeoque omnem cognitionis nostræ materiem meris repræsentaminibus contineri, ex quo *absolutus ille, et Kantio ejusque gloriæ adeo invisus Fichtii idealismus irrefragabili consequentia* deducitur.

METAPHYSICES SYSTEMA.

Metaphysicæ pars prima Ontologia
s e u
Doctrina de entibus analytice absolutis.

PROOEMIUM.

1.)

Materia ontologiæ.

§. 8. *Substantiæ absoluta*, i. e. entia per se, *οὐτως ὡρα*, sunt proprium ontologiæ propriæ seu metaphysicæ objectum; *ens* vero *per se existens* non eo ipso est etiam *ens a se et independens*. Cum vero dentur *non modo talia*, quæ *vel* per alia existunt, ex quorum conjuncta actione resultant, *vel* aliis tamquam qualitates inhaerent, adeoque entia per aliud et in alio sunt, *verum etiam talia*, quæ pro contingentibus existentibus necessario habentur, vel propter existentiam suam ortum, vel propter mutabilitatem suam, aut similitudinem cum aliis manifeste contingentibus, quæ adeoque entia ab alio sunt, etiam entia per se existentia et aliquid independentem, et suapte natura existens dari necesse est.

2.)

2.)

Origo disjunctivæ entium materialium et spiritualium ideæ.

§. 9. Intellectus humanus res existentes omnes ad duo summa genera revocat, nimirum ad naturas materiales, et ad entia spiritualia. Res illæ, quæ sub sensus externos cadunt, quæque impenetrabilitate, extensione figura et mobilitate præditæ, sed omnibus conscientiæ et arbitrii vestigiis plane destitutæ sunt, cum suis elementis dicuntur *entia materialia*; at subjecta et principia conscientiæ, perceptionum, sensationum, appetitionum et motuum arbitrariorum *spiritus*, seu *entia spiritualia* appellantur.

3.)

Systematum ontologicorum diversitas.

§. 10. De intimo proprietatum et manifestationum materialium et spiritualium principio plane diversæ sunt Metaphysicorum sententiæ. Quamquam enim plerique et clarissimi affectionibus et manifestationibus corporeis, et spiritualibus diversas substantias et vires primitivas subjiciant (Dualismus); sunt tamen etiam, qui utrisque eadem ultima actiosa principia subitare putant, cum nimirum alii omnia ad vires repræsentatrices (hylozoismus, idealismus) alii vero omnia ad materiæ stamina viribus motricibus prædita revocent (materialismus). Dantur præterea, qui res sub sensus externos et internos cadentes vel pro meris modificationibus duorum attributorum unius infinitæ omnia complectentis substantiæ, (pantheismus) vel pro talibus manifestationibus habent, quibus quidem aliquid substantiale substratum esse debeat, quæ vero plane non arguant, quid illud substratum, adeoque an unius vel duplicis naturæ sit (Criticismus).

CAPUT PRIMUM

Doctrina de entibus materialibus,

s e u

Hylologia metaphysica.

Designatio et ordo tractandorum.

§. II. Illud, quod corporum et materiæ nomine indicamus, quodque non meris repræsentaminibus et repræsentandi modis contineri suo loco ostendimus, constat quibusdam absolutis elementis, impenetrabilitate, et vi motrice repellendo et attrahendo se exserente præditis, eorumque cohæsiōe. Inde nascitur duplex metaphysica doctrina de substantiis materialibus, nimirum doctrina de absolutis corporum elementis, seu *stoichoiologia metaphysica*, et doctrina de corporeo metaphysice considerato, seu *somatologia metaphysica*. Ens corporeum quodcunque tamquam *aliquid impenetrabiliter extensum et mobile in spatio* requirit aliquid intinum, primitivum, absolutum, tamquam *actiosa constitutiva*, quorum actione illæ proprietates existant. Hæc ultima constitutiva sunt *absoluta elementa seu primigenia initia, et actiosa principia* omnis concretionis corporeæ, constituuntque *corporum primitivam essentiam*. Quare stoichoiologia metaphysica somatologiam metaphysicam præcedere omnino debet,

S E C T I O P R I M A

*Doctrina de absolutis corporum elementis,**s e u**Stoicobiologia metaphysica.*

I.

Conceptus et termini de composito et simplici figuntur. An entia, quæ sint primitiva corporum elementa, extensa esse possint?

§. 12. In cognitione et oratione humana conceptus et terminos compositi et simplicis occurrere, atque in gravissimis decretis vel tamquam subiectum, vel tamquam prædicatum adhiberi constat. Cum vero illorum conceptuum et terminorum potestas usu loquendi teste sit diversa, hæc imprimis distinguenda et figenda est.

§. 13. Compositi nomen, cum *significatu latiore seu remissiore* accipitur, denotat id, quod varia et forte plane heterogenea at non extra se posita continet, cuiusmodi sunt notiones et voces compositæ; huic composito *unicum* opponitur *simplex*, quod *logicum* dici possit, quodque non tantum variorum extra se positionem, verum omnem plane varietatem excludit, uti est punctum geometricum; *stricto vero et proprio significato*, cum nomen compositi sumitur, denotat id, quod constat variis extra se positis separabilibus, at conjunctis; huic composito, quod etiam physicum et simpliciter tale appellant, simplex triplici sensu opponitur, nimirum chemico, physico et metaphysico. *Chemice simplex*, uti sunt illa novæ Chemiæ elementa, constat partibus ex-

tra se positis at non heterogeneis; *physice simplex* etiam constat partibus extra se positis et heterogeneis, sed adeo tenue et exile est, ut nec arte, nec natura ultra dissolvi possit; *metaphysice simplex* nullis constat extra se positis principiis, sed ipsum est principium per se existens (*οὐτως αὖ*), vel ex quo corporea constent, vel in quo alia, quæ spiritualia dicuntur, insint, adeoque recte *monas* appellatur. Quare tantum metaphysice simplicia sensu primo accepta sunt *absoluta*, chemice vero et physice simplicia sunt tantum relativa corporum *principia seu elementa*.

§. 14. Elementa absoluta corporum non modo omnem compositionem, quod omnes concedunt, verum etiam omnem extensionem, quod quidam negant, excludunt, adeoque non tantum absolute simplicia, sed etiam inextensa sunt; nam omnis extensio relationem, et si physica et realis est, etiam compositionem involvit, quæ in absoluta compositionis principia simpliciter cadere nequeunt. Absoluta elementa tamen impenetrabilia et vi mechanice motrice, nimirum attrahendo et repellendo se exserente prædita, adeoque perdurabilia et extra se invicem posita esse debent, ut varia sua cohæsiōne varias relativas partes, variaque tota constituere possint; in composito enim physico, quæ non compositione fundantur, in elementis ipsis fundata esse et his jam inesse debent.

II.

Inquiritur origo nostri conceptus de primigeniis et simplicibus corporum elementis.

§. 15. Simplicia illa, sive chemica, sive physica elementa, quæ ex corporum solutionibus, sive natura,
sive

sive arte factis prodeunt, sunt reapse adhuc physice composita. Ab hoc experientiæ principio, tamquam dato indubio ratio humana, quæ in relativis subsistere nequit, argumentando suum conceptum de elementis seu principiis corporum absolutis, suamque de horum realitate et veritate convictionem ducit. Hanc argumentationem philosophi, qui simul celebres sunt mathematici, pro legitima habent; at mathematici quidam celebres, qui pariter sunt clari phyci, eam paralogismum esse contendunt; quare quibus rationibus permoti alii illam argumentationem legitimam, alii illegitimam esse dicant, videamus.

1.)

Quibus rationibus moti alii corpora elementis simplicibus constare affirmant?

§. 16. 1. Omne ens corporeum necessario variis connexis tamquam constitutivis continetur, adeoque multipliciter, connexionem et compositionem continet. Triplex hic nimirum multiplicatis unionis et constitutionis character necessario relationem involvit, adeoque aliquid absolutum et simplex, i. e. substrata et principia requirit, quæ omnem ulteriorem relationem, multipliciter et compositionem excludunt.

2. Corpora eorumque relativæ partes, cum suis viribus et affectionibus necessario in viribus et affectionibus suarum partium fundatæ sunt; quod si itaque corpora primitus non constarent absolutis viribus seu principiis et elementis, verum variis relativis partibus, nihil esset a parte rei, quo illæ relativæ vires et affectiones efficerentur, composita forent in compositis fundata, compositio foret ratio ultima compositionis, tellurem ferret elephas, elephantem testudo, e. s. p.

3. Corpora, nisi primitus constarent principiis seu elementis simplicibus, in infinitum divisibilia forent; et quominus ea in infinitum dividi posse statuamus hoc maxime obstat, quod intra definitos et quidem, jam largissimos, jam arctissimos limites infinitam, ubique partium multitudinem contineri multiplicem contradictionem involvat.

2.)

Quibus rationibus permoti alii corpora elementis simplicibus constare negent?

§. 17. 1. Corpora non magis simplicibus omnium partium expertibus, adeoque incorporeis entibus, quam punctis geometricis constare posse dicunt. *Resp.* Ultima corporum principia sunt vires repellendo et attrahendo se exercentes, adeoque motus non proprii et arbitrarii, sed alieni et mechanici, quare substantiæ sunt &c.

2. Simplicia corporum elementa instar nihili, certe instar punctorum geometricorum esse, eorumque nullam ideam in mentem humanam cadere contendunt, cum nec per materiæ, nec per spiritus notas concipi queant. *Resp.* de elementis illis non quidem sensualis et intuitiva idea, sed tantum intellectualis et discursiva notio haberi potest, cumque sint principia ultima extensionis et motus mechanici, entia materialia et materia hoc sensu sunt, quod nomen vero vulgariter extensum impenetrabile et iners, i. e. motui resistens denotat &c.

3. Elementa simplicia tamquam aliquid mere negativum omni extensione destitutum = 0 non posse principia extensionis corporeæ, hancque necessario uti spatium, quod occupat in infinitum divisibilem esse urgent. *Resp.* Absoluta corporum elementa sunt absolutæ substantiæ, sunt primati-

væ vires sed omni conscientia et arbitrio destitutæ, sunt adeoque aliquid reale sensu eminenti et verissimo. Spatium infinitum non est principiatum, sed principium partium suarum; at corpora vice versa non sunt principia, sed principiata compositionis et partium cohærentium &c.

III.

Ulterior entis compositi et simplicis consideratio, atque Monadologiæ leibnitianæ et Stoichiologiæ dogmaticæ contentio.

§. 18. Nisi prima itaque et absoluta principia in constitutione corporum darentur, cum corpora ipsa non uti spatium sint principia, sed tantum principiata suarum partium; revera nec corporum, nec virium, quæ corporibus eorumque relativis partibus tribuuntur, ulla initia, nec qualitatium; quibus corpora eorumque partes relativæ præditæ sunt, ulla rationes ultimas dari confitendum foret. Ultima vero corporum principia impenetrabilitate et vi, quæ naturæ suæ necessitate ad repellendum attrahendumque pro intervalli varietate tendat, adeoque tantum mechanice et non arbitrario motus producat, prædita esse, inde colligitur, quod neutra illarum proprietatum cohæsiōne efficiatur, sed potius utraque ad hanc jam requiratur. Elementa corporum absoluta et quæcunque entia metaphysice simplicia omni extensione, figura et divisibilitate destituta; 1) partium nec compositione nasci, nec dissolutione interire, 2) neque ea, quæ corpora ratione differre, mutari et agere posse, in apico est.

§. 19. Leibnitius entia simplicia seu monades invicem agere, i. e. alteram alterius vi mutari posse, negavit, cum eæ se contractare nequeant, neque ex una aliquid in alteram transire possit; quare omnem monadem, omnium suarum mutationum et evolutionum causas in se ipsa continere, affirmavit. Sed cum ex principiis de causalitate certum sit, corpora tamquam principiata virium simplicium invicem agere, necesse est, ut etiam illæ simplices vires tamquam elementa et principia corporum invicem agant. Ut vero altera res in alteram agat, h. e. influat, necesse non est, ut ex una aliquid in alteram transeat, ut altera alteram immediate contrectet, et ut monas aliqua v. g. anima humana omnes suos status ex se ipsa vi propria evolvat, non tantum incomprehensibile, quod etiam de earum mutuo influxu valet, sed in multis casibus etiam impossibile est, cum in anima status eveniant sibi que succedant, qui animæ vi existere nequeunt, quorumque alter alterius causa esse non potest.

§. 20. Leibnitii de monadibus doctrina, quam monadologiam appellant, multis plane singularibus decretis continetur, quæ breviter sed tamen perspicue et complete proponi possunt, ut *palmare* monadologiæ leibnitianæ, et stoichoiologiæ dogmaticæ *discrimen* appareat, neque illius adversarii hanc propterea perhorrescant et repudiant.

De natura et generibus monadum Leibnitius hoc docuit, 1) eas omnes esse subjecta vis representatricis continuo actuosæ, hujus enim solummodo vis existentiam et notionem esse per conscientiam cuius notam et certam, 2) inter monades esse unam infinitam, primitivam, increatam, ceteras esse finitas, dependentes ex

ceatas, hasque vel distincte, vel confuse, vel penitus obscure sibi omnia repræsentare, quas postremas sopitas appellavit, atque mundi materialis flamina seu elementa esse dixit, 3) omnes finitas monades in infinitum niti, adeoque ex sopitis confuse repræsentantes, et ex confuse repræsentantibus distincte percipientes fieri.

Ut existentiam monadum finitarum, ut singularum agendi modum et universalium harmoniam et concentum, quo mundum mundique partes constituent, conciperet, Leibnitius docuit, 1) omnes substantias seu monades finitas esse quasdam continuas fulgurationes ex monade infinita, i. e. ex Divinitate, 2) earum singulas omnes suas mutationes statusque ex se ipsis sine omni reliquarum concursu evolvere, 3) eas tamen cum a Deo dependeant, necessario in perfectissima harmonia versari, cum divinis ideis et decretis perfectissime consentientibus respondeant, 4) denique earum singulos status esse specula universi, cum propter harmoniam, ex quovis reliqua cognosci possint.

SECTIO ALTERA

*Doctrina de corporeo metaphysice considerato,
seu*

Somatologia metaphysica.

I.

De indole nostræ, quam mente informatam habemus, rerum corporearum cognitionis.

§. 21. Quemadmodum consideratio eorum, quæ sub sensus externos cadunt, objectorum, h. e. corporum ratio.

tionem indagatricem et interpretem naturæ dirigit ad cogitationem quorundam elementorum, quæ sint omnis compositionis corporeæ intima et absoluta principia et constitutiva; ita hæc metaphysicorum omnis corporeæ concretionis initiorum cogitatio et veritas rationem ad contemplationem corporum reducit atque convincit, corpora eorumque proprietates et modos *aliud* sensibus et Physico, *aliud* rationi et Metaphysico *objectum* esse.

§. 22. Physice spectata corpora sunt phænomena, i. e. apparentia subjecta quarundam æque apparentium proprietatum et modificationum, scilicet impenetrabilitatis, extensionis, figuræ, vis inertię, impotentię se ipsa movendi, variorum motuum, variarum conditionum, cum corpora, uti constat, cum suis affectionibus ex variorum elementorum unione resultant. Metaphysice vero considerata corpora sunt aggregata elementorum simplicium, tamquam principiorum actuosorum, quæ vi repultrice et attractrice extensionem et cohesionem efficiant, et actione sua mechanica et infinite varia in sensus externos sensationes externas et his respondentia infinite varia phænomena corporum eorumque proprietatum et modorum pro mediorum, organorum et facultatis sentiendi ratione infinite varia producant.

§. 23. In corporibus præterea, cum Physicus, tum Metaphysicus *materiam et formam* distinguit; *materiam* elementa constituunt, quæ sunt vel absoluta unius generis, quorum existentiam et naturam Metaphysicus arguendo eruit, uti Stoichiologia ostendit, vel relativa plurium generum, quorum existentia et natura a variis naturæ interpretibus in Physica, Chemia, Mineralogia, Organonomia, Zoonomia eruenda est; *forma* corporum vero elementorum unione absolvitur, quæ in corporibus

vivis organisatio et structura, in ceteris vero textura et mixtura appellatur, atque a variis illis naturæ interpretibus investiganda et aperienda est.

II.

De motu et vi motrice, horumque, seu naturæ corporeæ legibus generalissimis.

§. 24. Corporum, eorumque partium distantia, et intervalla, locaque et situs mutui varia ratione mutantur, in his mutationibus posita sunt motus phænomena, quare motus varii reapse fiunt. Vi principiorum de causalitate ratio impellitur, ut motus corporum, eorumque mutuos ad se invicem accessus, et a se invicem recessus ab ipsis corporibus velut causis repetat, adeoque alterum ab altero vel attrahi vel repelli judicet. Quare corpora eorumque partes vi motrice præditas esse affirmandum est, quæ se vel attrahendo vel repellendo, deinde vel cohærendo vel gravitando, i. e. ad centrum aliquod tendendo, vel circa centrum aliquod gyrando exserit, adeoque principium *motus non proprii, sed alieni et mechanici* est.

§. 25. Vires quascunque, earumque connexiones et leges naturam universæ et propriæ, indeque pendentes effectiones naturales universæ et propriæ dici constat. Quare etiam singulorum corporum eorumque elementorum vires, connexiones, leges, indeque pendentes effectus intellectus et voluntatis legibus et operationibus oppositos recte *naturam, scilicet corpoream et specialem et eventus naturales* dicimus. Complexus omnium mundi corporum eorumque elementorum cum suis nexibus et legibus, indeque pendentibus eventibus naturam corpoream universam constituit. Omnis hujus naturæ efficientia et

manifestatio per motus, eorumque leges et per vim motricem mechanicam, ejusque leges peragitur. Supremas motus et vis motricis leges nosse etiam consiliis pneumatologicis prodest.

1.)

Supremæ motus leges.

§. 26. Omnes, quæ in natura corporea fiunt, mutationes in motibus positæ sunt, et motibus secundum certas leges peraguntur, quarum supremæ hæ sunt: 1) Omnes corporum motus, vel proximam vel certe remotam causam extra ipsa corpora mota habent. 2) Nullum corpus in motu constitutum sponte motum suum abrumpt, ejusve celeritatem et directionem mutat. Hæc decreta, quia necessitatem et universalitatem strictam adjunctam habent, non sunt meræ experientiæ, verum consequentiæ immediatæ, seu decreta specialia ex illo universali: sine causâ efficiente nihil fieri.

2.)

Supremæ vis motricis corporeæ leges.

§. 27. Omnes, quæ in natura corporea per ipsam hanc naturam fiunt, operationes vi motrice secundum certas leges peraguntur, quarum summæ hæ sunt: Vis motrix se 1) in aliis distantis repulsione, 2) in aliis cohæsione, 3) in aliis gravitate, i. e. attractione ad certum corporum centrum, vel gyratione circa illud exserit. Hæc decreta partim facta experientiæ, partim hypotheses philosophicæ sunt, quæ facilem explicatum illorum trium generum phænomenorum præbent; quas leges ab illis, quibus animæ humanæ mutationes et operationes adstrictæ sunt, toto cælo differre comparanti illico illucescit.

CAPUT ALTERUM

Doctrina de entibus spiritualibus,

seu

Pneumatologia metaphysica.

INTRODUCTIO.

I.)

Cur ratio entia immaterialia supponere debeat? Horum entium proprium nomen et operationes ac proprietates principales.

§. 28. Si dantur operationes et proprietates, quæ cum suis legibus ab operationibus, proprietatibus et legibus entium materialium toto cœlo differunt, quorumque subjectum et principium materia plane esse nequit, etiam entia a materialibus diversa, adeoque immaterialia dari necesse est; cujusmodi operationes et proprietates sunt perceptiones, sensiones gratæ et ingratiæ, appetitiones et aversiones atque voluntatis actus cum suis speciebus, harumque principia, nimirum facultas cognoscendi, persentiscendi, appetendi et volendi, cum suis stirpibus. Nulla materia corporea subjectum conscientiæ et principium motus arbitrarii esse potest. Subjecta seu principia conscientiæ et arbitrii atque operationum et proprietatum eo pertinentium, sunt entia proprie dicta (*οὐτως οὐτα*), adeoque substantiæ metaphysicæ, vocanturque entia seu substantiæ spirituales, seu spiritus simpliciter.

2.)

2.)

Origo nostri de spiritibus conceptus, eorum genera et nostrarum de spiritibus cognitionum fons. Pneumatologiæ notio et partes.

§. 29. Primum conceptum de spiritu suæ quisque conscientiæ debet, quæ necessario aliquod reale et permanens sui subiectum requirit et arguit; qui conceptus iudicium singulare est, quo quisque tantum se ipsum tamquam varia percipientem et cogitantem &c. ponit. Cum vero alios homines et belluas ejusmodi actiones exercere videmus, quæ in nobis sunt perceptionum, cogitationum, sensationum, appetitionum et volitionum effectus, etiam alios homines entia intelligentia et volentia, belluas vero entia sentientia et appetentia esse concludimus. Quia spiritus corporibus organicis unitos *animas* appellamus hominum animam rationalem, mentem, belharum animam irrationalem dicimus. Cum reliqua mundi corpora telluri nostræ, qua entium rationalium sedes est, similia esse videmus, omnia entium intelligentium certi generis domicilia esse colligimus; a consideratione vero hujus universi, quod innumera entium intelligentium domicilia sibi mutuo inservientia complectitur ad cogitationum mentis infinitæ seu spiritus perfectissimi asurgimus. Ex his elucet possibilitas *Pneumatologiæ*, quæ est vel *generalis* psychologiam rationalem, vel *specialis* Ontotheologiam complexa.

S E C T I O P R I M A

Pneumatologia generalis in nexu cum psychologia rationali et comparata.

Doctrinæ hujus descriptio.

§. 30. Pneumatologiæ generalis quæstiones et disputationes omnes ad tria genera velut momenta redeunt, nimirum ad ea *primo*, quæ ad entium spiritualium a rebus corporeis et organicis diversitatem, *deinde* ad ipsorum voluntatem, vel certe voluntatis aliquod analogon, *denique* ad eorum cum natura corporea conjunctionem pertinent.

A R T I C U L U S P R I M U S

De natura entium spiritualium omnis concretionis corporeæ experte.

§. 31. Ens spirituale, i. e. quodvis subjectum et principium conscientiæ perceptionum, cogitationum, sensationum, appetitionum, volitionum et motuum arbitrariorum, cujusmodi subjectum et principium inest in hominibus et belluis, non potest esse aliquid, quod partium extra se positarum conjunctione et organisatione constet vel efficiatur, quod dogma dicitur *spiritualismus*, oppositum vero *materialismus* appellatur.

I.

Spiritualismus.

§. 32. Argumenta spiritualistarum, quibus naturas quascunque conscientia aliqua, adeoque facultatibus res
per-

percipiendi, voluptates et dolores perſentiſcendi, jucunda appetendi et moleſta averſandi, atque quædam pro arbitrio, i. e. perceptionum vi, non vero alia neceſſitate ſive inſterna ſive externa, agendi præditaſ ab omni corpore et materia diverſaſ eſſe probant, hoc plerumque, certe maxime, probant, comprehendere intelligique plane non poſſe, qua ratione in quaſdam naturaſ corporeaſ illæ operationeſ et facultateſ cadere poſſint. Noſtra argumenta hoc ſibi propoſitum habent, ut plane evidens reddatur, eſſe quodcunque corporea naturæ conſcientiæ et arbitrii ſubjectum, et principium eſſe plane non poſſe.

1. Mutationeſ et attributa naturarum corporearum, cum ſuiſ legibuſ tota natura differunt ab illiſ functionibuſ et proprietatibuſ, quaſ proprie ſpiritualeſ dicimus. Priorē ſunt objecta ſenſuſ externi, atque phænomena, quia organorum miniſterio cognoscuntur; neque ſubjecti ſui veram et abſolutam ſeu ſubſtantialem, verum tantum collectivam aliquam, quæ proprie ſubſtantiarum plurium unio eſt, unitatem requirunt, cum ei proprie non in hæreant, ſed cum ipſo ſuo ſubjecto ex elementorum conjunctione reſultent. Poſteriorum in omnibuſ e diametro oppoſita eſt ratio ſeu indoleſ; quare harum ſubjectum et principium toto genere diverſum eſt ab omni corporea compage, in qua, quod præter elementa ineſt, forma dicitur, atque vel in mera partium fluidarum mixtura et ſolidarum textura, vel utrarumque ſtructura et organizatione poſita eſt.

2. Conſcientia quæviſ, quæ eſt propria et communiffima atque vero etiam maxime nota et indubia omnium entium ſpiritualium nota, cum iſiſ, quaſ complectitur et intime adſcit, operationibuſ et, quæ hiſ ſubſtant, proprietatibuſ requirit ſubjectum verum, non apparens, quod adeo.

adeoque absolute unum, non multiplex, semperque *numero idem*, nunquam *aliud sit*. Nam conscientia cum illis operationibus et proprietatibus nec integra in singulis alicujus naturæ corporeæ partibus, nec dispersa et dispartita per eas, neque tamquam diversis temporibus alia, a priore numero diversa, cogitari potest, cujusmodi tamen esse deberet, si natura seu compages quæcunque corporea etiam subtilissima et artificiosissime constructa ac organisata ejus compos aut opifex foret.

3. In natura corporea quacunque nullæ aliæ mutationes et functiones cogitari possunt, quam quæ motibus peragantur et contineantur; sed abhorret ab intellectus nostri natura, ut operationes vere spirituales pro motibus habeamus; præterea in re corporea nullus esse et cogitari potest motus *vere spontaneus*, passivo et mechanico *oppositus*, cum in ea, quacunque structura prædita sit, omnia alternis attractionibus et repulsionibus, adeoque mechanice efficiantur. Quamprimum res extensa et organica pro subjecto et sede conscientia atque actu et facultatum percipiendi, cogitandi, persentiscendi, appetendi et volendi habetur, necessario oritur cogitatio vel de aggregato aliquo, cujus singulis partibus illæ vel integræ, vel dispersæ insint, quod a spiritus singularis et singularium ejus operationum et proprietatum, non vero a corporis singularis ejusque modificationum et proprietatum natura abhorret.

II.

Materialismus.

I.)

Quid materialistæ in argumentationibus spiritualistarum reprehendant ?

§. 33. 1. Ex diversitate phænomenorum sensus externi et interni inferre non licet, etiam primitiva illorum principia diversa esse debere. Ignota illa vis, quæ est vegetationis in plantis atque incitabilitatis et vitalitatis in animantibus causa, etiam conscientiæ et arbitrii principium esse potest, cum natura principia sine necessitate non multiplicet. Pristley. Ex primigeniitate, unitate et identitate conscientiæ et egoitatis sine paralogismo nec simplicitatem, nec concretionem et multipliciter ejus subjecti et principii evidenti nexu inferre licet. Kant. *Resp. ad primum.* Primo functiones et actiones vegetationis et vitalitatis cadunt sub sensus externos, habentque spatii ideam adjunctam, sed functiones spirituales nullo modo sub sensum spatiumque cadere possunt. Hoc invictè arguit essentialem utrarumque differentiam; si utraq; functiones ex eodem ultimo principio efflorescerent, ratio nulla foret, cur non etiam posteriores sub sensum externum spatiumque caderent. Deinde principium illo phænomenorum aperte extensum et dispersitum est per plantæ et animantis corpus, adeoque spatium implet, sed conscientiam, sensum, intelligentiam, sensationes, appetitiones et volitiones horumque principia dispersita et dispersa esse per aliquod subjectum extensum et apparens repugnat. *Resp. ad secundum.* Primo principii ejusmodi simplicitas certe multo magis accommodata est ab-

solntæ unitati et numericæ identitati *conscientiæ* *cujusvis*, quam ejus concretio et multiplicitas; *deinde* repugnat naturæ modificationum spiritualium, ut eorum subjectum sit res quædam ex elementis concreta, ipsæ vero per hanc compagem distributæ et dispersæ existant.

2. Materialistæ crassam quidem et organisationis expertem materiam motu solum, causarumque externarum interventu actuosam esse posse, secus vero quoad statum proprium plane inertem esse concedunt, at subtiles illas lucis, caloris, electricitatis, magnetismi, galvanismi materias efficacissimas omnia permeantes vires esse, in animali corpore vim invisibilem, qua partes restituantur et regenerentur dominari, et in plantis etiam sensus et arbitrii documenta seu vestigia occurrere contendit, adeoque materiam perceptionis, sensationis, appetitionis et arbitrii penitus incapacem esse negat. *Resp.* 1) Hæ similesque quæcunque rationes non evincunt in naturam quamcunque corpoream mutationes a motibus diversas cadere, aliisque quam externis causis corporeis proxime vel remote agitari posse. Quantumcunque efficientia materiarum subtilium et organicarum differat ab inertia materiarum crassarum, in illa tamen admirabili efficacia nulla deprehendere licet spiritualium operationum vestigia; incitabilitatem et nisum formativum, quem vocant, certe nemo harum rerum satis intelligens eo referet. 2) Natura corporea quacunque subtilitate, organisatione et efficientia prædita conscientiæ, atque illius admirabilis cognoscendi, persentiscendi, appetendi et volendi munerum et facultatum œconomix subjectum esse nequit, quia necessario partibus extra se positis constat, quod illis muneribus et facultatibus adversum est. Nexus illæ, qui inter cogitandi et volendi facultates, et operationes

occurrit non nisi, cum principio simplici et absolute identico conciliari potest. 3) Operationes et proprietates animæ cum suis legibus ab operationibus subtilissimarum materialium, et organisationum tota natura differunt, nec ab iisdem viribus et principiis proficisci possunt. Recens Chemia, Organonomia et Zoonomia, ne levissimam quidem suspensionem afferunt possibilitatis et spei, spirituales operationes ex corporeis viribus explicatum iri. Vita spiritualis seu personalis, et illa animalis et organica in homine, si utriusque historiam, œconomiam legesque satis teneas, tota natura differunt; Psychonomia, quæ Diapnoënomiam, Thelematonomiam et Eleutheronomiam complectitur, a Zoonomia toto cœlo differt.

II.)

Quibus argumentis materialistæ suam sententiam confirmant?

§. 34. I. Entia spiritualia aliquid reale, atque certa magnitudine præditum esse debent; quod si vero incorporea et simplicia essent, etiam omni realitate et magnitudine destituta, atque adeo nihilum forent; præterea in divulgis animalium membris vitæ, sensus et motus arbitrarii vestigia deprehenduntur; ex quo consequens est, in vitæ, sensus et arbitrii principium divulgionem cadere, hoc adeoque corporeum quid esse. *Resp. ad unum.* Res corporea quæcunque est phænomenon, adeoque nihil sensu absoluto reale videri potest, tantum ens simplex, si est vis, aliquid absolute reale esse potest. Neque immaterialitas et simplicitas spiritus essentiam, sed tantum unum ex ejus attributis constituit, neque conceptus de natura corporea, quæ est phænomenon perpetuo fluxui et viciss-

cissitudini obnoxium, aptus est ad designandum illud ens, quod in omni sua æconomia et indole absolutæ unitatis et idenritatis signa gerit, nec denique nisi per dogma, animam esse omnis omnino concretionis corporeæ expertem materialismi noxio influxui obstrui potest. Realitas, et magnitudo animæ in ejus vi, qua conscientiam, atque sciendi et volendi ac agendi principia et regulas actuat et adhibet posita, adeoque verior est, quam ea quæ cui-cunque corporeæ compagi et moli tribuitur. *Ad 2dum.* Accurate observantes et comparantes phænomena in quibusdam divulsis animalium membris et in trunco et capite eorum, qui gladio plexi sunt, ope galvanismi occurrentia hoc tantum docent, irritabilitatem seu incitabilitatem, atque quasdam organicas functiones in divulsis corporis membris aliquamdiu perseverare, quæ vero per se nec sensationes sunt, neque has arguunt aut requirunt.

2. Anima, si extensionis expert esset, nec in toto corpore sentire et agere, nec rerum extensarum ideam omnino habere, neque denique corporis vitiis, detrimentis et morbis quoad ingenium, animum et voluntatem obnoxia esse posset. Resp. 1) Sentit agitque anima ope sensorii et motorii communis, tamquam suæ sedis in corpore, quamdiu communio ceterarum corporis partium cum illo sensorio et motorio communi manet. Ubi communio illa locum non habet, anima inde nec impressiones recipit, nec eo imperium vimque suam exserit. 2) Cum anima res extensas percipit, non earum in se effigies aliquas recipit, aut earundem imagines effingit, verum tantum earum conscientiam habet. Perceptiones ne quidem objectorum corporeorum quædam eorum imagines et delineationes in anima, uti in retina, videri possunt; nam anima ea objecta non imminuta, verum
cum

cum naturali ipsorum magnitudine pro ratione distantiae percipit, quod in ea tamquam in re extensa fieri non posset. Anima totius objecti compositi et singularum ejus majorum et minorum partium perceptionibus et conscientia potitur, at si ea *res extensa* foret, ejus singulis partibus singulae objecti partes, uti in speculo fit, exhiberentur, at nihil foret in subiecto extenso, quod omnes simul perciperet, singularumque perceptiones una conscientia uniret. Tantum ergo abest, ut anima propterea res extensa videri debeat, quod res extensas et compositas sibi repraesentat, ut potius recte propterea aliquid absolute unum, simplex et idem, cujusmodi etiam ipsa conscientia est, esse debeat. 3) Quia corpus statio animae est, atque sensus et arbitrii organa continet, intelligitur, cur quaedam nativae corporis perfectiones animae prodesse possunt. At perfectiones corporis perfectionum animae non sunt effectrices, verum tantum conditionem et dispositionem ad eas acquirendas efficiunt; ut vero reapse oriantur, non causis physicis, verum moralibus, nimirum vita civili, conversatione, institutione et lectione efficitur. Animae in corpore vitioso aut agro impotentia non est interna sed externa, quae sublatis, uti constat, impedimentis tollitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De entium spiritualium voluntate aut voluntatis aliquo analogo.

I.

Omne ens spirituale aut voluntatem proprie dictam, aut aliquod voluntatis analogon habet.

§. 35. Res varias percipere, atque quarundam rerum, cum adsunt, perceptionibus jucunde aut moleste adfici, adeoque voluptatem aut dolorem perferentiscere, cum vero desunt vel instant, eas appetere vel averfari, i. e. niti, ut eæ nobiscum sensu vel uniantur vel separantur; præterea varia cogitare et intelligere, i. e. rerum proprietates et nexus cognoscere, atque velle et operari, i. e. eorum, quæ vere, adeoque ex integro et in nexu bona sunt, cognitiones, tamquam agendi consilia et regulas constituere et sequi, res sunt adeo connexæ, ut ubi facultas percipiendi sensualis adest, etiam perferentiscendi, appetendi, et arbitrii sensualis facultates deficere nequeant, et si percipiendi facultas simul intellectualis sit, etiam volendi et operandi facultates deesse non possint. Quare omnis spiritus vel *voluntate proprie dicta*, quæ decernendo, eligendo et exsequendo se exerit, vel *tantum voluntate improprie dicta* gaudet, quam *voluntatis analogon* vocant, quæque in facultate perferentiscendi, appetendi et arbitrio sensitivo, i. e. facultate, sensationum et appetitionum aut averfationum impulsione, varios motus edendi posita est.

§. 36. In spiritibus superioris ordinis uti in anima humana distingui debent: a) *mens*, quæ utramque percipiendi seu cognoscendi facultatem; b) *animus*, qui persentiscendi et appetendi facultates et c) *voluntas*, quæ decernendi, eligendi et exsequendi facultates continet. Cognoscendi, persentiscendi, appetendi et volendi principia, seu vires in ente spirituali non sunt proprie ejus *vires primitivæ sibi invicem a latere positæ*, sed tantum *attributa primaria* ex eadem vi primitiva *efflorescentia*; secus enim alterum illorum principiorum sine altero exserere se posset, quod repugnat; cumque vis primitiva ipsam entis substantiam constituat, ens spirituale aggregatum plurium substantiarum esse deberet, quod etiam repugnat. *Vis conscientiæ*, quæ quidem debilitatur somno aut deliquio, ac nunquam interrumpitur et elanguescit, aut alia evadit, *effectrix* est vis spiritus et animæ humanæ *primitiva*, quæ se univarse duplici ratione, nimirum in impressionibus et proprietatibus objectorum, *vel* hæc objecta, *vel* se ipsam respiciendo, adeoque *vel* intuendo et cogitando, *vel* persentiscendo, appetendo et proprie volendo exserit, adeoque vim cognoscendi et vim volendi late acceptas continet.

II.

Voluntatis a facultate cognoscendi dependentia, leges et principia eruuntur.

§. 37. Voluntatis nomen late acceptum tres diversas facultates denotat, nimirum *primo* illam, qua voluptates et dolores persentiscimus, *deinde* istam, qua res utiles appetimus et noxias averfamur, *denique* hanc, qua decernimus, eligimus et decreta nostra exsequimur, quæque *voluntas significatu stricto* dicitur. In voluntate itaque

late accepta seu animo, *præter* voluptatis et complacentiæ, atque doloris et displicentiæ sensiones et motus, qui sunt *vel* placidi *vel* vehementes et affectus, *præter* appetitionum et averfationum nifus, qui sunt vel moderati vel dominantes seu passionēs, denique *præter* decretorum, electionum et exsecutionum actus, etiam propensiones, et impulsus seu studia distingui debent. *Propensiones* sunt animi constitutiones, cur ei certa rerum genera constanter placeant vel displiceant; *instinctus vero et studia animi* sunt ejus constitutiones, cur certa rerum genera constanter confectetur vel fugiat.

§. 38. Voluntas vero late accepta, seu animus huic legi fundamentali adstrictus est, ut omnes ejus motus, status et habitus a repræsentationibus dependeant; quare his mutatis etiam *animi indoles* in ejus inclinationibus et studiis seu impulsibus posita mutatur. Vis vero repræsentationum ad animum commovendum et tenendum in eo consistit, quod earum objecta jucunda aut molesta, pulchra aut deformia, utilia aut noxia, honesta aut turpia sunt. Hæc objectorum genera grata vel ingrata sunt, placent vel displicent, *vel* propter materiam, *vel* propter formam, *vel* propter suos effectus, *vel* denique propter suam moralem qualitatem, i. e. rectitudinem vel pravitatem, atque pro *bonis* vel *malis* probato loquendi usu teste habentur. In hac primaria lege, quæ omnium animi manifestationum et propensionum ac affectionum originem determinat, tres volendi leges continentur; 1) Entia intellectu et voluntate prædita, naturæ suæ constitutione feruntur ad ea omnia, quæ aliquid ad ipsarum perfectionem et salutem conferre cognoscunt, fugiuntque contraria, quæ lex propterea *amoris sui lex* dici potest; 2) Entibus intelligentibus animi sui vi placet salus

et perfectio aliorum, quibuscum naturæ et societatis vinculo continentur, quæ lex propterea *sympathiæ et socialitatis lex* dicitur; denique 3) entibus intellectu et voluntate præditis naturæ suæ constitutione placent omnia, quæ perfectionem vel continent vel arguunt, contraria vero displicent, quam legem propterea *legem perfectionis* dicimus; quare in animo, facultatis persentiscendi et appetendi sede, amor perfectionis est *radix*, amor sui vero et sympathia sunt *capita* omnium certarum propensionum et impulsuum.

III.

Voluntatis libertas. Quæ libertas ens agens personam, atque culpæ vel meriti, adeoque imputationis capacem efficiat?

§. 39. Ens spirituale seu vivens est vel physicum vel morale (*Naturwesen, moralisches Wesen*) et quidem vel pure physicum uti bellua, vel pure morale uti Deus, vel mixtum uti homo. Vivens physicum legibus et finibus obsequitur, quin horum cognitionem habere valeat, quia rationis expers, adeoque brutum est; quare nec culpæ, nec meriti &c. capax est. Ens vivens, mixtum vero uti homo, quia ratione pollet, leges et fines cogitandi et volendi perspectos habere, atque custodiam vel neglectum eorum intendere potest, adeoque culpæ et meriti capax est; ejusmodi ens identitatis suæ numericæ scientia, anteaactorum memoria, adeoque personalitate potitur, sine qua immortalitas esse nequit, præterea libertatis compos, felicitatis dignum esse, adeoque nobiliore sensu vivere dicitur.

§. 40. Sed an quæcunque voluntas libera esse et videri potest, cum a mentis cognitionibus dependeat et his tamquam naturæ legibus adstricta sit? Imprimis quid libertatis nomine veniat dicendum, et tres quidem maxime hujus vocis significationes curate distinguendæ sunt; accipitur primo vocabulum libertatis vulgari et psychologico significatu, quo illud facultatem viribus et rebus nostris pro lubitu utendi denotat; hoc sensu libertas coactionibus et impedimentis physicis opponitur atque immunitatem ab his in agendo significat, quam homini libertatem competere nulla plane est controversia, in quantum ea non est educationis et civitatis finibus adversa, adeoque catenus non restricta.

§. 41. Deinde vocabulum libertatis eam hominis tamquam entis mixti præstantiam significat, qua fit, ut non tantum sensuum et phantasie illecebris, verum etiam intellectus et rationis motivis et jussis ad agendum, et ad prioribus resistendum determinari possit, quam libertatem nemo homini denegaverit, nisi eum in classem beluarum compingere voluerit. Si ens aliquod, tantum sensualitate præditum, hujusque legibus obnoxium, vel tantum rationis compos, hujusque legibus adstrictum; vel si utraque quidem præditum esset, at in conflictu appetitionis sensitivæ et rationalis exitus rei semper tantum a præponderantia alterutrius irresistibiliter dependeret, adeoque tale ens semper uno tantum modo inevitabiliter ageret: foret tale ens automa spiritule nullius vel culpæ, vituprii, pænæ vel meriti, laudis, præmii, nullius imputationis moralis capax.

§. 42. Quæstio ergo versatur circa tertium vocis illius significatum, quo libertatis vocabulum denotat discernendi facultatem, i. e. facultatem se ipsum determi-

nandi, vel ad illud, ad quod sensus et phantasia cum suis comitibus trahunt, vel ad id, quod ratio præcipit, quin voluntas ad unum ex his irresistibiliter determinata sit. Hanc libertatem, quomodocunque eam compellare velis, homini competere et imputationis radicem esse, sua quemvis conscientia edocet, per quam auctor est suorum morum et gestorum, adeoque eorum, quæ legi morali vel conformia vel difformia sunt, atque imputationis, meriti vel demeriti, acquiescentiæ in semet ipso vel pœnitentiæ, laudis vel vituprii, præmii vel pœnæ capax et particeps. Conscii nobis sumus, nos ad quædam facienda, alia vero omittenda, obligari, sed non physice cogi, ex quo nos non tantum sensitivo et rationali, sed etiam libero arbitrio præditos esse consequitur, quo fit, ut vel sensualitatis illecebris, vel rationis imperativis, velut finibus seu consiliis obsequamur.

ARTICULUS TERTIUS

De entium spiritualium ad id, quod corporeum est, relatione.

I.

Mentium finitarum multitudo, cum organicis corporibus conjunctio, et discrimina.

I.)

Mentium finitarum multitudo omnem finitum captum superans.

§. 43. Qui corpora mundi totalia entium intelligentium domicilia esse sumit, eorum multitudinem omni cap.

capto finito superiorem judicare debet. Sunt nimirum corpora mundi totalia vel opaca uti tellus, vel lucentia uti sol. Vi illius principi: *similium operum similes fines esse*, omnia opaca systematis solaris corpora, i. e. planetas et cometas domicilia entium intelligentium esse, uti globus noster terraqueus domicilium hominum est, confiteri debet; vi ejusdem principii ratio humana omnia corpora lucentia, adeoque omnes stellas fixas pro soles esse, adeoque pro corporibus mundi centralibus judicare debet, circa quæ, uti circa solem nostrum certus corporum opacorum numerus tamquam eorum comitatus revolvatur; corporum lucentium perfectior cognitio, atque lex parsimonie, propter quam res quæcunque in universo pluribus finibus inservit, etiam corpora lucentia, a quibusdam entibus intelligentibus inhabitari suadent. Cum itaque corporum cælestium multitudo et varietas plane stupenda sit, etiam entium intelligentium tamquam incolarum multitudinem et varietatem omni capto humano superiorem esse consequitur.

II.)

Mentium finitarum cum corporibus organicis conjunctio.

§. 44. Mentis finitas haud alio modo, quam ope corporis organici, corporum mundi totalium incolas esse, atque sentire, cognoscere et in iis agere posse, nemo facile existimabit. Hoc certum est, nos concipere non posse, *primum* quomodo spiritus finiti sine corporis organici adjunctione initium usus suæ cognoscendi facultatem facere possint; *deinde* cum nec omnia simul, nec quæcunque in mundo existentia quovis tempore sub eorum cognitionem cadere possint, qua alia ratione, quam
per

per corpus suum, huiusque in mundo positum iis certæ tantum semper res præsentēs esse possint; *denique* quæ alia nisi corporis organici ope cum mundo corporeo et aliis quibusdam finitis spiritibus conjunctus esse, atque ad auctoris universi cognitionem pervenire queant. Crusii asserta: mentes finitas immediate in alia agere, aut corpora obvia assumere, aut plane nova corpora sibi construere posse, omni fundamento carent, et ad absurda ducunt,

III.)

Mentium finitarum discrimina.

§. 45. Ex superioribus multo plura spirituum finitorum discrimina, adeoque genera, quam nos concipere possimus, existere maxime probabile efficitur; quare quibus momentis tamquam notis specificis spiritus finiti a se invicem differre possint, Pneumatologia suorum principiorum semper memor disquirere poterit, quin fingere aut operam perdere, videri possit. Hoc certum est, discrimina quæcunque spirituum finitorum vel externa, vel interna esse debere; *externa* eorum *discrimina* univēse ab ipsorum partim corporis, partim domicilii, horumque positus diversitate pendent; *interna* vero univēse in facultatum cognoscendi, persentiscendi, appetendi et volendi, atque ad has pertinentium affectionum diversitatibus posita sunt. *Quoad* facultatem cognoscitivam mentium differentia vel copiam varietatemque cognitionis, vel idearum, judiciorum et ratiociniorum perfectiones; *quoad* voluntatem vero animorum discrimina vel sensiones, appetitiones et agendi consilia, vel potentiam se aliaque regendi adficere possunt.

II.

Causa conjunctionis et harmoniæ spirituum finitorum cum suis corporibus et cum mundo corporeo.

§. 46. Quia spiritus finiti cum corporibus organicis et cum mundo aspectabili conjuncti sunt, Pneumatologia, quæ sit hujus conjunctionis causa, inquirere debet, At cum univèrse spiritus finiti cujuscunque cum suo corpore et domicilio non alia, quam quæ est animæ humanæ cum suo corpore et domicilio, conjunctio esse possit, tota quæstio ad causam de harmonia inter animam et corpus hominum intercedente restringi potest. Quod vero anima et corpus, quoad mutationes, proprietates et status consentiant, hæcque consensio harmonia appelletur, atque stabilibus legibus astricta sit, hoc loco tamquam jam in Psychologia empirica satis disceptatum sumitur.

II.)

Expositio variarum harmoniam inter animam et corpus explicandi hypothesium.

§. 47. Cum recondita sit animæ et corporis natura, ratio certa et plane perspicua reddi nequit, cur hæ essentialiter diversæ hominis partes tam admirabili ratione in suis œconomiis consentiant; quare philosophi ad rationes probabiles recurrunt, adeoque hypotheses ad explicandam illam harmoniam adhibent.

§. 48. Cum harmonia sit res in facto posita, causa ejus ratioque dari debet, quæ si in ipsis illis duabus substantiis, nimirum anima et corpore continetur, ita ut altera vi alterius mutetur et determinetur, in mutuo ipsarum

rum influxu posita est; quare hæc harmoniam explicandi ratio recte *hypothesis influxus physici seu causalitatis realis* appellatur. Sed cum ipse modus, quo sensorium et motorium commune animum adficiat, et ab eo adficiatur, ut sensationes in ipsa oriantur, et motus ab ea in corpore producantur, explicari nullo possit, cumque Cartesiani et Leibnitiani tales de anima et corpore conceptus foverent, ut influxus ille physicus falsus videri debuerit; a Deo tamquam a causa proxima illam harmoniam repetendam esse censuerunt, adeoque ejus vel assistentiam, vel præstabilitionem harmoniæ illius admirabilis causam esse pronunciarunt, atque causarum occasionalium et harmoniæ præstabilitæ hypotheses excogitarunt. Qui *hypothesin causarum occasionalium* adhibent, Deum occasione mutationum et statuum corporis, consentientes in anima mutationes et status et vice versa efficere affirmant; qui *hypothesi harmoniæ præstabilitate* utuntur, Deum certæ mentis et certi corporis consensionem ex congenita utriusque dispositione et indole prævidisse, propterea earum unionem stabilivisse, hasque sine omni mutuo influxu conspirare contendunt.

§. 49. Hæ tres harmoniam animæ et corporis explicandi rationes exemplo duorum horologiorum illustrari solent, quæ triplici modo in suis functionibus conspirare possunt, nimirum *vel ideo*, quod alterum ab altero ad certos motus determinetur, *vel propterea*, quod utrumque ab eodem artifice continuo eodem modo moveatur, *vel denique hanc ob causam*, quod utrumque ab eodem artifice ita constructum sit, ut in motibus suis sine omni mutuo influxu consentiant.

II.)

Examen trium animæ et corporis harmoniam explicandi
hypothesium.

I.)

Hypothesis adfistentiæ divinæ seu causarum occasionalium.

§. 50. Hæc hypothesis partim fallis, partim præcariis sumtionibus nritur, atque propterea in errores ducit.

Sumit falso 1) res creatas nihil agere, verum omnia a vi infinita effici, certe simplex in extensum et vice versa agere non posse, 2) animæ essentiam cogitatione, corporis vero motu contineri, at cogitationem motus et motum cogitationis causam nullo modo esse posse, 3) in mundo semper eandem motus quantitatem esse debere, adeoque animæ voluntate nullum motum existere vel extinguere posse.

Sumit precario: 1) animam corpus movere non posse, cum cogitando se tantum exferat, neque corporis structuram noscat, 2) ex iis quæ in corpore accidunt originem cogitationum in anima nullo modo intelligi posse, denique 3) divinæ naturæ magis consentaneum esse eam pro principio omnium, quæ in animo et corpore geruntur, habere.

His sumtis negare non potest, 1) omnia, quæ fieri videmus, supernaturalia et immediatas Dei actiones esse, a quo facilis est ad pantheismum declinatio, 2) corpora plane nulli usui esse, a quo proximum est mentis ad idealismum clinamen, 3) ideas in hominibus vi divina progigni, a quo pronus est ad superstitiosum fanaticismum transitus.

2.)

Hypothesis præstabilitionis divinæ, seu harmoniæ præstabilite.

§. 51. Hæc hypothesis pariter falsis et precariis sumtionibus nititur, a quibus proxima est ad varios errores via.

Sumit falso, 1) substantias, adeoque animam et corpus invicem agere non posse, cum nihil ex uno in alterum transire possit, 2) animam ipsam omnes mutationes, status et habitus ex suis intestinis sine corporis concursu evolvere (experientiam, solertiam, impotentiam, delirium?) 3) animam et corpus in omni plane suæ æconomiæ parte conspirare.

Sumit precario, 1) in corpore humano omnia ejus admirabili mechanismo peragi, 2) esse corporis et animæ mutationum eas series et continuationes, ut semper posterior necessario ex priore nascatur, 3) possibilem non solum divinam vi et intelligentia esse corporis et animæ, omniumque rerum creatarum absque omni mutuo influxu harmoniam, verum etiam gloriosissimum utriusque documentum.

His sumtis negare nequit, 1) nullum esse causalitatis certum criterium, cum unum non vi alterius fiat, sed tantum propter divinam præstabilitionem alteri respondeat, 2) nullum plane relinqui argumentum, cur corpora esse dicamus, idealismum ergo refelli plane non posse, 3) nihil in hominibus vere libere et arte effici, verum omnia vel animæ vel corporis tamquam automatis necessitate fieri.

Hypothesis influxus physici, seu causalitatis realis.

§. 52. Hypothesis influxus physici omnibus, quæ ceteras premunt, difficultatibus et absurdis obstruit, præterea nihil falso, nihil temere sumit, neque per se in errores ducit, adeoque indirecte et directe probabilis est.

Sumit 1) animam et corpus agere, quia verus existentiae character in efficientia positus est, atque plane nihil agere et non esse idem sunt; 2) animam et corpus multa independententer a se invicem agere, neque in omnibus plane rebus consentire, quod irrefragabilibus instantiis confirmatur, cum sæpe temperamentum et character moralis a se invicem abhorreant &c. 3) animam et corpus nonnulla mutuo pati et agere, atque in his tantum eorum indolem et conditionem ita consentire, ut altera alterius indicium sit, id quod ex harmoniæ legibus et phænomenis, causalitatem innuentibus et arguentibus, manifestum est, nisi quis omne ominino iudicium de causis suspectum dicere velit.

Per hypothesim influxus physici, nec spiritualitatem, nec libertatem et immortalitatem animi humani in discrimen advocari, nemo, qui harum rerum earumque fundamentorum justas notiones tenet, facile ignorare poterit.

III.

De spirituum origine et fati post exutum corpus. Appendix de vitæ principio in belluis.

§. 53. Animæ protoparentum propter simplicitatem naturæ suæ alio modo oriri non poterant, quam per creationem ex nihilo; sed qua ratione oriuntur animæ
po-

posterorum? Quidam eas ex animabus parentum oriri censuerunt, quod ortum per *traducem* dixerunt; sed animæ parentum *nec* causæ efficientes *nec* materiales animarum filiorum suorum esse possunt; quare omnes animæ humanæ et omnes spiritus finiti per creationem oriuntur. Sed an omnes cum mundo ipso creati sunt (*præ-existentianismus*), posteaque primo corporibus organicis uniuntur, an vero in ipso unionis actu primum creantur (*inducianismus*)? Spiritus ejusmodi, quales sunt animæ humanæ, cum corporibus interire nequeunt, sunt enim naturæ a corporibus diversæ, neque in sua propria efficientia a corporis concursu dependent, quare corporibus suis superstites sunt; sed an corporibus superstites perpetuo somno opprimuntur, an ex uno corpore, amissa præteritorum memoria in aliud melius vel deterius migrant (*metempsychosis*), an retenta priorum memoria personalitatem sine fine continuant (*immortalitas animorum humanorum*)?

§. 54. Animantium ab homine diversorum in globo terraqueo, a minimis et imperfectis animalculis usque ad maximas et perfectas belluas, incredibilis plane est varietas, et admirabilis vivendi ratio, ut ex usu, et ex historia naturæ compertum habemus. Quale sit efficientiæ et vitæ principium in his animantibus metaphysici eruere et determinare debent; sed differunt valde metaphysicorum de principio activitatis et vitæ in belluis sententiæ. Quidam belluas omnis perceptionis, sensationis, appetitionis et arbitrii expertes atque meras machinas, mera automata esse dicunt, quibus tantum materiale aliquod principium motuum mechanicorum insit; alii brutis non tantum animam sensitivam, sed etiam rationem tribuunt, quæ vero propter imperfectiorem corporis str. duram im.

imperfectius se exferat, quam in homine manibus instructo. Cum vero in Cosmotheologia et Ethica non perinde sit, an belluæ automatæ vel viventium numero et loco habeantur, metaphysicæ de principio activitatis in belluis quæstiones non supervacuæ speculationes videri possunt.

I.)

Belluæ non sunt mera automata, verum anima gaudent.

§. 55. Bruta non sunt mera automata, verum anima quoque, i. e. principio aliquo a corpore diverso gaudent, quo res præsentis percipiunt, jucundi et molesti aliquem sensum habent, res aliquas appetunt, alias averfantur, atque motus arbitrarios edunt. Nam *primo* corpus belluinum humano quoad organa sensus et motus arbitrarii simile est, quare cum similium operum similes fines esse debeant, etiam corpus belluinum similem organorum illorum finem habere, i. e. ad sentiendum et corpus sponte movendum inservire, adeoque entis sentientis et sponte moventis sedes esse debet; *deinde* belluæ ejusmodi motus et sonos edunt, qui sunt in hominibus effectus sensationum, imaginationum, adsociationis idearum, voluptatis, doloris, appetitionis et averfationis sensitivæ, quare cum similium effectuum similes causæ esse debent, belluis etiam illæ spirituales modificationes, adeoque etiam aliquod earum principium inesse, censendum est; *denique* belluæ talia agunt, quæ ex nullo mechanismo, ex nulla effluviorum vi explicari possunt, neque eorum organa motoria ita uti in automatibus ad unicum motus genus comparata videri possunt,

II)

Attamen belluæ ratione non potiuntur.

§. 56. Ratione illud ens potiri et uti dicitur, quod universalium et specialium (judiciorum), causarum efficientium et effectuum, mediorum et finium relationes intelligit, adeoque logicum, effectivum et finalem nexum perspicit, cogitatione ab uno illarum relationum termino ad alterum progreditur vel regreditur, atque has cogitationes tamquam regulas in agendo sequi potest; cum belluæ harum cognitionum plane nulla dent documenta, atque facultatibus, sine quibus illæ esse nequeunt, aperte destitutæ sint, eas rationis expertes esse consequitur. Carent bruta *primo* facultate universalis in specialibus et singularibus, et vice versa terminate distinguendi et seorsim cogitandi, sine quo conceptus, regulæ, judicia et ratiocinia esse nequeunt; carent *deinde* facultate memoriæ et prævisionis, i. e. facultate antecedentia seu præterita et consequentia, seu futura cogitandi, atque præsentibus terminate annectendi; sunt belluæ ad paucas quasdam res præsentis adstrictæ et restrictæ, quas admodum clare percipiunt; cum vero ad has perceptiones se semper aliæ cum iis alias conjunctæ certissime adsociant, quæ belluas ad actiones convenientes adigunt, propterea belluis non ratio, memoria, prævisio, consilium, sed tantum aliquod rationis, memoriæ, prævisionis et consilii analogon tribuitur, in eo positum, quod belluæ solius perceptionum adsociationis ope ejusmodi faciant, quæ homines ratiociniis, memoria, prævisione, consilio ducti faciunt; *denique* bruta perceptiones suas solius coexistentiæ lege, non vero arbitrio et consilio annectunt signis hominum arbitrariis, v. g. vocibus, ut eas hoc modo

in potestatem suam redigant, pro rerum notis habeant, atque ex iis cognoscant et intelligant,

III.)

Actiões belluarum artis et prudentiæ æmulæ rationem nec requirunt, nec arguunt.

§. 57. Bruta quidem ad varios motus institui possunt, et aliquas artis atque calliditatis et consilii æmulas actiones suscipiunt, sed hæ rationem neque requirunt, neque arguunt; organa in corpore belluino suapte natura multo magis ad certas operationes nituntur, quam in corpore humano; est præterea belluinæ sentiendi et perceptiones adsociandi facultatis multo arctior sphaera et vividior indoles; sunt denique belluinæ appetendi facultatis directiones et impulsus multo pauciores et determinationes, quam humanæ. Inde resultant belluarum habilitates et impulsus ad actiones regulares et finibus accommodatas suscipiendas, sine regularum et finium cognitione et volitione, quos *naturæ et artis in belluis instinctus* appellamus. Belluarum quarundam institutio et docilitas admirabilis sola idearum adsociatione nititur, et quæ ad artis similitudinem efficiunt, plane admiranda, belluæ omnia invariabili uniformitate sine experientiæ, institutionis et exempli auxilio, adeoque non ex intelligentia et ratione, sed ex instinctu nativo, sensu acutiore et adsociatione certiore præstant, atque stupiditatis, quod nimirum naturas, causas et fines rerum penitus ignorent, plurima et luculenta documenta præbent.

S E C T I O A L T E R A.

Ontotheologia seu doctrina de ente infinito et spiritu perfectissimo.

P R O O E M I U M.

§. 58. Ontologia hætenus analytice absolutum solummodo tamquam ens per se existens consideravit, duoque ejus genera esse evicit, nimirum substantias materiales, phænomenorum sensus externi ultima subltrata, et spirituales, conscientiaë subjecta. At cum ens per se existens non eo ipso etiam absolute necessario et suapte natura existat, adeoque *ens absolutum simpliciter tale seu per excellentiam* sit, Ontologia jam hujus absolute necessario existentis naturæ existentiam et attributa investigare debet.

§. 59. Vi principii existentiaë in mente humana inevitabiliter idea entis absolute necessario existentis nascitur. Nam entia materialia, i. e. corpora mundi totalia et partialia, atque spiritus finiti, i. e. interne et externe limitati, qui corporibus organicis uniti sunt, corporum cœlestium incolæ, requirunt et arguunt, propter conditionatum et dependentem existendi modum, atque propter impotentiam vi propria existendi, ens suapte natura existens, cujus vi existere ceperint et pergant; quare Ontologia, quæ est doctrina de substantiis, etiam de substantia infinita, quæ est spiritus perfectissimus, seu ens perfectissimum, agere debet, atque hoc ambitu recte Ontotheologiaë nomen gerit.

§. 60. At an entia illa per se existentia esse et dici possint, quæ in alio ente existentiae suæ rationem habeant, an non potius universum ipsum pro illo ente habendum, quod rationem omnium finitorum contineat, an non entia quævis finita, potius modificationes attributorum entis infiniti, i. e. infinitæ extensionis et cogitationis videri debeant? Ex eorum, quæ nunc indicata sunt, disquisitione elucebit, dari ens ab universo tamquam toto absoluto entium finitorum, dependenter et legibus ac finibus conformiter coexistentium et succedentium diversum atque absolute necessario existens, quod adeoque substantia infinita et spiritus perfectissimus sit.

ARTICULUS PRIOR

De ente infinito tamquam substantia absolute necessario existente.

I.

De infinito universe.

§. 61. Nulla in re facilius labi possunt infinita ingenia, et reapse gravius lapsa sunt, quam in quæstionibus et disputationibus de infinito; quare caute et provide in hac doctrina versandum est.

I.)

Genesis prima de aliquo infinito in mente humana notionis.

§. 62. Quidquid in nobis vel extra nos consideramus, id plus vel minus realitatis, perfectionis et efficientiæ continere deprehendimus; nihil tamen reperimus,
cui

cui non multa defint, per quæ præstantior ejus generis natura constitui possit; præterea naturale nobis esse persentimus, ut quosdam conceptus prototypos efformemus, quibus nihil ex omni parte accomodatum aut in natura deprehendi, aut a nobis effici potest, ad quos tamen conatus nostri sine fine propius accedere possunt; videmus etiam nos immenso rerum orbe circumdari, in quo nec in parvis, nec in magnis ad aliquod ultimum pervenire, nec omnino circumferentiam illius orbis aliqui attingere licet; denique in nobis vires, fines et desideria reperimus, quæ vitæ hujus terminis neutiquam se circumscribi patiuntur, Hoc modo in mente humana aliquem *infiniti et interminati* conceptum, sed vagum et inconstantem nasci facile intelligitur.

II.)

Infiniti seu interminati nomen duplicem toto cœlo diversam potestatem habet.

§. 63. Infiniti et interminati nomine maxime Mathematici et Metaphysici utuntur, at vero etiam abutuntur, qui abusus gravissimos errores peperit, atque inde manavit, quod vis et potestas illius nominis mathematica et metaphysica non quam exactissime figatur et distinguatur.

§. 64. Mathematici infiniti nomen ad suas quantitative discretas, sive continuas, hasque sive simultaneas et extensas, sive successivas et protensas referunt, harumque aliquas infinitas esse dicunt, aut propterea, quod ope nullius quantitatis homogenæ tamquam mensuræ adæquari et exhauriri, aut propterea vel quod in iis ad nullum limitem perveniri, vel quod earum incremento decremento

tove nullus limes poni possit, vel denique, quod omni data (dabili?) quantitate majores vel minores, adeoque infinitæ magnæ vel parvæ sint. Kæstnerus infiniti mathematici notionem constituens, recte et graviter monet, infiniti nomen et quantitates mathematicas relatum non has ipsas, sed tantum earum semper crescendi vel decrescendi possibilitatem innuere et afficere. Quantitas mathematicorum quatenus data est, est finita, et quatenus infinita est, dari non potest; quare mathematica infinitas tantum potentialis, et non actualis est.

§. 65. Metaphysici infiniti nomen tantum ad vim ejusque efficientias et attributa referunt, adeoque illimitati potius nomen usurpant et usurpent. Notat nimirum infiniti seu illimitati nomen id, quod nec interne, nec externe limitatum est, cujusmodi ergo ens tantum vis et efficientia esse potest, ut adeoque *infinitum metaphysicorum seu illimitatum* sit idem ac realissimum et perfectissimum, ejusque singulæ realitates ac perfectiones, quia puræ et maximæ sunt, i. e. et omnem defectum et omne incrementum excludunt; quare quod sensu metaphysico infinitum sit, non quod extensionem vel protensionem, vel progressionem, i. e. quoad spatium, tempus, durationem, incrementa, verum quoad intensionem et comprehensionem immensum atque infinitum esse debet. Quidquid itaque majoribus vel minoribus partibus aut membris constat vel constare concipitur, mathematico tantum non metaphysico sensu infinitum dici potest, in quo partes et articuli unius generis infinite plures esse possunt, quam alterius.

II.

De ente infinito speciatim.

I.)

Entis infiniti notio, seu essentia constituitur et attributa eruuntur.

§. 66. Quamquam mens humana suas vires varia ratione circumscriptas esse facile perspiciat, neque quidquam in mundo reperiatur, cui non defint multa, tamen ejus conceptus et ratiocinia entium limitatorum cognitione et terminis se constringi non patiuntur, verum ad supremam et perfectissimam ab omni defectu et imperfectione liberam naturam, i. e. ens infinitum et perfectissimum, quod omnes et maximas, quæ una esse possunt, realitates et perfectiones sine omni defectu et limitatione comprehendat, concipiendam et asserendam principiorum et legum suarum vi perducitur.

§. 67. Neque a proposito suo desistit, cum suam rationem ad notionem hanc explendam neutiquam parem esse intelligit, sed quidquid boni et præclari de entibus intelligentibus cognitum habet, conferendo, atque ab omni, quod iis adjunctum est, defectu et vitio separando, *entis infiniti*, i. e. omnes et puras atque maximas, quæ in uno subjecto consistere possint, virtutes complectentis notionem constituere conatur. Neque propterea reprehenda videri potest mens humana, cui nisi varia ratione mancis atque imperfectis cognitionibus acquiescere vellet, nihil jam reliquum futurum est; id tantum sedulo curare debet, ut principiorum et limitum suæ cognitionis gnara et memor decreta sua pro rationum indole et pondere

dere temperet, atque, ubi argumenta omnino deficiunt, explorando et judicando subsistat.

§ 68. Ens vero infinitum hoc significatu aggregatum aliquod, vel aliquid collectivam tantum unitatem complectens esse neutiquam potest, verum subjectum et unum sensu strictissimo, adeoque ens per se existens et substantia, metaphysica esse debet; quare hæc singularis substantia, illimitata non tantum ratione *sua existentia*, adeoque unica, omnipræfens, ens entium, verum etiam ratione *sua vis et efficientia*, adeoque ens omnipotens sibi ipse sufficiens, vivens, mens, et immortale esse debet, cujus vita nec initium nec finem habet.

II.)

Notionis illius origo, fundamentum et necessitas, seu veritas inquiruntur.

§. 69. Jam quæ sit nostri de ente infinito conceptus in mente humana origo, quæ fundamenta, et an ei conceptui veritas, quam objectivam dicunt, constet, videndum est. Ideam de substantia infinita non abstractione et combinatione uti conceptus archetypus, verum rationatione uti ideas absolutorum efformamus. Separando ab ente aliquo finito v. g. anima humana quoscunque ejus defectus, auferendo cogitatione ab ejus intellectu, voluntate et potentia quascunque imbecillitates et vitia non magis hoc modo idea entis infiniti, quam ipsum ens infinitum efficitur.

§. 70. Conceptus de ente infinito et perfectissimo, atque certitudo ejus objectivæ veritatis in mente humana, gradationem perfectionis entium in mundo et maxime mentium finitarum contemplante, inevitabiliter nascitur ex principio existentia vi necessaria argumentationis;

ens infinitum et suapte natura existens dari debere, quia dantur entia finita atque contingenter existentia, quæ ens primitivum, illis attributis præditum, irrefragabiliter requirunt et arguunt. Cumque ens realissimum et illimitatum nec impossibile sit, quia puræ realitates nullo modo repugnare possunt, nec mere possibile esse possit, quia hoc sumto ejus absoluta existendi necessitas et primitiva ac independens existentia tolleretur; consequitur, illud absolute necessario, adeoque reapse existere. Hæc argumentatio indirectam convictionem de existentia substantiæ infinitæ progignit, cum illa prior ab existentia entium et mentium finitarum et contingenter existentium ducta, directam ejus scientiam pariat.

III.

An una illa et infinita substantia ipsum hoc Universum sit?

§. 71. De ente infinito disputatio aliquos ad plane singularem sententiam, seu potius aberrationem, qua major in intellectum haud cadere potest, perduxit.

1.)

Pantheismi Spinoziani expositio.

§. 72. Spinoza unum esse, cujus non cognitione et voluntate, verum absoluta essentiæ necessitate existant omnia, quæ sunt, hæcque Unum, i e, unius infinitæ essentiæ articulos esse, atque unum ens singulare infinitum constituere docet. Ex mente Spinozæ singula quæcunque entia finita uno ente infinito, uti articuli organici corporis uno toto continentur, ipsumque hoc ens infinitum per hæc
fin.

singula entia, uti corpus organicum per sua organa constituitur, seu ex Spinozæ mente unica existit substantia, cujus essentia infinita extensione et cogitatione contineatur, per infinitas vero ejus duorum attributorum modificationes et quasi articulationes singula entia finita, nimirum corpora, mentes et entia mixtæ naturæ constituentur et exhibeantur; quare Spinoza singula entia in uno infinito ente existere, ipsum vero illud unum infinitum his finitis singulis contineri, adeoque unum et omnia, seu hoc universum esse (εν και παν, εν το παν), cuncta itaque, quæ sunt et fiunt, non cognitione et voluntate illius substantiæ, sed absoluta et cæca ejus essentia necessitate esse et evenire, nihilque pro fine et medio haberi posse, verum omnia fati cæci necessitate volvi statuit.

II.)

Pantheismi Spinoziani prævia refutatio.

§. 73. Entia finita, cum corpora tum mentes, quamquam suapte natura non existant, atque arctissime invicem connexa et cum principio suo intime unita sint, non tamen propterea modificationes universi, tamquam unius infiniti entis, seu infinitæ substantiæ esse debent aut possunt. Quis enim serio contendere velit, se et alium quemcunque cogitantem, præterea corpora mundi totalia, cum lucentia tum opaca, et partialia, cum inorganica tum organica, quamquam suapte natura non existant, propterea entia per aliud aut in alio, non vero entia per se, præterea non nexu effectivo et finali devincta esse, verum essentialium consecutivorum cum constitutivis more coherere, non unius infinitæ et intelligentis substantiæ vi ac voluntate existere et conjuncta esse, sed potius illorum tamquam modificationum omnitudine ipsam infi-

nitam substantiam constitui? Spinoza suam unicam et infinitam substantiam, cujus conceptum a falsis sumtionibus duxit, et ex subreptitiis notis conflavit, unum individuumque, omnia penetrans subiectum esse statuit, quod tamen ex paritibus extra se positis, totaque natura diversis constare, atque proprietatibus repugnantibus contineri negare nequit. Cogitatio et extensio sunt attributa pugnantia, cum prior absolutam unitatem et simplicitatem, posterior multiplicitem sui subiecti requirat, prior qualitas et absoluta unitas, posterior multitudo et aggregatum sit. Quis ferat, scientiam et ignorantiam, veritatem et errorem, virtutes et scelera, lucem et tenebras, inertiam et activitatem, calorem et frigus &c. unius perfecte identici et invariabilis attributi variabiles modificationes esse? quis ferat, nihil in mundo consilio, omnia plane temere, nihil entibus intelligentibus causis et auctoribus, omnia fato cæco fieri?

ARTICULUS POSTERIOR.

De ente infinito tamquam spiritu perfectissimo.

§. 74. Cum conceptus entis infiniti et perfectissimi nullo modo in naturam corpoream omnis conscientiæ et vitæ expertem cadat, necesse est ens infinitum, quod reapse esse evicimus, ex spirituum seu mentium genere esse. Ratio enim humana tantum mentem, seu spiritum aliquem, ab omni labe et imperfectione immunem, perfectissima intelligentia et voluntate, quæ omnium aliarum absolutarum et purarum perfectionum condiciones et causas sint, cogitare valet.

§. 75. Quamquam vero notionem entis perfectissimi et simpliciter absoluti explere, atque objecto suo plana adæquatam nullo modo reddere possit, tamen omnia ea, quæ menti humanæ adjuncta sunt, vitia et imperfectiones cogitatione tollendo, absolutæ ac præstantissimæ mentis veram, utilem et ad sobrie sapiendum, et recte agendum sufficientem ideam efformat, existentiamque hujus summa admiratione, reverentia, amore, obsequio dignissimæ mentis ex existentia mentium finitarum, et ex universi, quod mentium domiciliis continetur, indole admirabili irrefragabiliter infert.

I.

Mentis perfectissimæ intelligentia, voluntas, libertas et beatitudo.

§. 76. Spiritum perfectissimum imprimis intellectu infinito, voluntate perfectissima, libertate purissima et beatitudine summa potiri ex ipsa ejus essentia elucet.

Est vero intellectus infinitus seu summus, qui omnium cognoscibilium distinctissimæ et plenissimæ, adeoque verissimæ et certissimæ cognitionis, seu scientiæ compos ac omniscius est, qui itaque non tantum ab entibus physicis efficienda, verum etiam ab entibus moralibus gerenda, uno actu et quasi obtutu, semper et infallibiliter perspecta tenet, ut mentis infinitæ numine ordo et cursus mundi physici et moralis constitui, regi, et utriusque harmonia defendi possit; qua intelligentia et scientia nulla major, nulla sublimior, imperscrutabilior, adeoque admirabilior est, si etiam pro principio essendi et existendi entium finitorum, adeoque pro ipsa vi creatrice spiritus perfectissimi haberi nequeat,

Voluntas vero perfectissima est, quæ omne et solum verum bonum constanter pro gradu bonitatis diligit, atque ab omni et solo vero malo pro gradu malitiæ constanter abhorret; quare non secus ac intelligentia, quam sequitur, oculata et immutabilis est. Quid vero verum bonum malumve sit, non nisi ex nexu universali perspectum esse potest, quare voluntas perfectissima etiam bona minora vult, et minora mala averfatur, si non sunt majorum impedimenta, aut appendices indivulsi. Voluntas perfectissima necessario etiam sequitur, quæ menti infinitæ bona, i. e. omni respectu ejus naturæ accommodata sunt; at ab ejusmodi cupiditatibus et horroribus, quibus animus humanus sæpe perturbatur et in transversum agitur, eam plane liberam esse ex mentis infinitæ intelligentia et independentia elucescit. Quare etiam hac voluntate nulla excelsior, nulla inperscrutabilior, nulla adeoque admirabilior et venerabilior.

Purissima porro libertas est immunitas agendi exterius ab omni coactione, et interius ab omni sensualitatis illecebra, atque ad perfectissimam intelligentiam et voluntatem se componens, omnem impotentiam et molestiam excludens efficientia. Summa denique et perfectissima beatitudo posita est in conscientia infiniti sui intellectus et perfectissimæ voluntatis, i. e. perfectissimæ suæ scientiæ, optimorum suorum consiliorum et optimæ suæ agendi rationis. Quare etiam libertate et beatitudine mentis infinitæ nulla major, nulla sublimior, nulla, quæ majorem admirationem et venerationem commoveret.

II.

Mentis perfectissimæ potentia, sapientia, bonitas, sanctitas et iustitia.

§. 77. Spiritui perfectissimo etiam omnipotentia, summa sapientia, bonitas, sanctitas et iustitia convenit.

Spiritus perfectissimus est principium ultimum omnium possibilium et existentium, adeoque creator et conservator omnium entium finitorum; ejus vis seu potentia nec externe nec interne limitata est, et præter ejus cognitionem ac voluntatem efficacissimam nihil requiritur, ut id, quod vult, quodque existere potest, reapse existat; quare ejus potentia infinita summe admirabilis et formidabilis est.

Spiritui infinito propter perfectissimam intelligentiam et voluntatem inest etiam cognitio et electio finium optimorum et mediorum aptissimorum, adeoque sapientia summa. Ad optimos fines pertinet ordo moralis, atque virtus et felicitas mentium finitarum; quare spiritus perfectissimus etiam entium ratione et libertate præditorum, quibus mores et actiones imperentur et imputentur, quam potest esse plurimorum existentiam, horumque virtuti proportionatam felicitatem tamquam summum extra se bonum vult; quare etiam summa ei bonitas seu benevolentia convenit. Horum cogitatio non potest non admirationem, reverentiam, adorationem, amorem et obsequium erga mentem perfectissimam commovere et tenere.

Spiritus perfectissimus est scrutator cordium, cognoscit itaque exactissime gradum bonitatis et malitiæ moralis cujusvis mentis finitæ; virtutem mentium finitarum,

per

per quam solam veræ felicitatis capaces et dignæ sunt, efficacissime approbat et diligit, et vitiositatem efficacissime detestatur et damnat, adeoque verissime et efficacissime imputat in meritum et præmium vel culpam et pœnam; quare sanctissimus et justissimus iudex, et admirabilis, reverendus ac formidabilis retributor, i. e. virtutis remunerator et vitii vindex est.

III.

Mentis infinitæ omnipræsentia et unitas.

§. 78. Spiritus denique infinitus omnipræsens atque unicus tantum est,

Si præsens ibi aliquis dicendus est, ubi et quid geratur immediate percipere, aliisque se immediate manifestare potest, omnibus rebus immediate et totam præsentem esse infinitam mentem consequitur. Nequit ea, entium finitorum modo, certo spatio et tempore conclusa esse, quod alioquin tantum ad typum nostræ sensitivæ perceptionis pertinet, sub quam mens infinita non cadit; quare ea ubique et semper est, et agit sine sui diffusionem aut multiplicationem omnia sua vi conservando et suo numine administrando.

Unicam tantum esse posse mentem infinitam et perfectissimam inde colligitur; quia 1) est perfectissima et principium omnium entium finitorum, quod tantum de unica valere potest, quia 2) unica mens infinita sufficit omnibus iis explicandis et intelligendis, quæ ejus existentiam requirunt et arguunt, quia 3) plures si essent, nulli scientia omnium conveniret; careret nimirum quævis scientia eorum, quorum existentiam rationem non contineret.

Metaphysicæ pars altera Cosmotheologia,

s e u

Doctrina de entibus synthetice absolutis.

PROOEMIUM.

Materia, ambitus et momentum Cosmotheologiæ.

§. 79. Metaphysica cognitis omnium rerum existentium supremis generibus, tamquam entibus analytice absolutis earumque proprietatibus jam harum materialium et spiritualium naturarum universitatem, quam mundum, ο' κόσμος dicimus, et hujus universitatis auctorem, quem Deum ο' Θεός appellamus, tamquam entia synthetice absoluta perscrutari debet, a quo munere et ambitu recte *Cosmotheologiæ* nomen gerit, atque duabus partibus nempe Cosmologia et Theologia naturali continetur.

Cum omnia, quæ hoc universum constituunt, rerum contingenter et consilio existentium characteres gerant, adeoque dependentiam ab intelligente causa arguant, facile intelligitur, cur omni tempore exstiterint ingenia, quæ eo dirigerent studia sua, ut argumenta existentiae causæ supremæ et intelligentis, seu auctoris et rectoris mundi ex variarum naturæ seu mundi partium finali constitutione peterent, atque Physicotheologias conficerent, quas nosse Metaphysicæ tyronum interest.

At cum partium mundi finalis constitutio sine supremis quibusdam omnium finibus vera et certa videri haud possit, cumque argumenti a finali entium singularem in natura constitutione petiti tanta probandi vis esse nequeat, quam ejus, quod est ab universi tamquam totius

ab-

absoluti finali constitutione ductum, Physicotheologias earumque usum, a cosmotheologia ejusque usu valde differre consequitur.

CAPUT PRIMUM

Doctrina de Universo,

seu

Cosmologia.

PRAELIMINARIA.

1.)

Cosmologiae definitio et ad alias scientias relatio.

§. 80. Cosmologiae nomen denotat doctrinam de mundo tamquam toto absoluto, adeoque de universo, i. e. corporum mundi totalium omnium in minora et majora systemata copulatorum universitate; universum nimirum hoc omnibus caelestium sphaerarum, quæ sunt mentium domicilia, regnis seu systematibus partialibus, uti tellus nostra omnibus naturæ, quæ dicunt, regnis continetur. Quare Cosmologia tam parum pro parte, quam universum pro objecto physicæ haberi potest.

Ex universi et cosmologiae conceptu elucet, ad hujus studium multiplices Cognitiones requiri, nempe non solum eas, quas Mathesis pura, Psychologia empirica, Logica, Ontologia, verum etiam istas, quas Historia naturalis et universalis, Mathesis applicata, atque Geographia et Astronomia physica, quæ Somatologiae universalis, seu Physices agmen claudunt complectitur. Scientiarum harum

porismata (Resultate) in disputationibus et decretis cosmologicis, partim materiæ, partim fundamentorum usum præstant; quare in discendi ordine illas scientias sequi debet, ne sterilis aut plane inanis sit omnis, quæ ei impendatur, opera.

2.)

Ejus progressio, ambitus et usus.

§. 81. Cosmologiam Christiano Wolfio, celeberrimo Germaniæ Philosopho et Mathematico, debemus, qui veritates cosmologicas dispersas collegit, auctasque in systema redegit. Qui deinde composuerunt *philosophiam*, quam dicunt *historia*, sive *naturalis*, uti Buffon, Bonnet, Smellie, e. a. m., sive *universalis*, uti Bertola, Herder, Jenisch e. a. præterea scriptores, qui mathematicas præcipue universi rationes perscrutati sunt, uti Kant, Lambert, Bode, Herschel, La Place e. a. copiosam, quæ Cosmologiæ augendæ et emendandæ inserviret, materiam subministrarunt.

Omnia Cosmologiæ principia et theoremata ad tria velut capita redeunt, nimirum *primo* ad fundandum universi conceptum, quam potest esse maxime sublimem et frugiferum, *deinde* ad contemplandas illas connexiones et leges, per quas fit, ut omnia entia finita, quæ existunt, partes unius totius absoluti sint; *denique* ad examinandam eam, quæ mundo huic vel in se spectato, vel in relatione ad alios possibiles mundos considerato, convenit, totalem perfectionem et bonitatem.

Ex his Cosmologiam eorum, quæ sub mentis humanæ cognitionem scientiamque cadunt, maximi momenti particulam esse consequitur. Est Cosmologia, universi indagatrix, disertissima, invicta et plane popularis existens.

stentia Dei ejusque perfectionum magistra, quæ præterea luminibus suis non modo funestissimam quædam superstitionis genera, nimirum Fatalismum, Thaumatomaniam et Thaumatophobiam dispellit, verum etiam in iis, quæ homines instituerunt et gesserunt, morale pretium a cosmico discernere docet.

SECTIO PRIMA

Mundi conceptum metaphysicum stabilit et explicat.

I.

Mundi nominis variæ significationes afferendæ, ut ejus metaphysica potestas figatur et nomine distinctivo indicetur.

§. 82. Cosmologiæ objectum communiter mundi nomine significatur; sed mundi nomini plures atque plane diversos significatus subjici, usus loquendi satis innuit, qua ratione efficitur, ut decreta cosmologica falso concipiantur vel perperam intelligantur. Denotat mundi nomen *primo* genus humanum, hujus fata, majores partes statusque diversos, immo etiam ejus corruptionem, *deinde* nostrum globum terraqueum, nostrum systema solare, seu planetarium, et singula corpora cælestia, quatenus uti tellus nostra entium intelligentium domicilia esse creduntur, *denique* complexum omnium omnino tum notorum, tum incognitorum corporum mundi totalium tamquam *entium viventium et intelligentium* domiciliorum. Hic postremus mundi nominis significatus proprie metaphysicus est; quare distinctivo (characteristico)

Univerſi, univerſitatis rerum finitarum et univerſæ naturæ (naturatæ) nomine indicari ſolet. Ad univerſi autem conceptum verum et frugiferum conſequendum non ſufficit, ut ſolummodo cælum ſtelliferum intueamur, quæ ratione non niſi aggregati cujuſdam corporum mundi cœleſtium, nullo ordine, nulla lege diſpoſitorum et coëxiſtentium naſcitur, verum necesse eſt, ut corporum cœleſtium varietatem, multitudinem, magnitudines, diſtantias, orbitas cognoscamus, atque quibus ordinibus et ad quem ſupremum finem conſpirando unum ordinatiſſimum et pulcherrimum totum conſtituant, intelligamus. Comprehendit itaque Cosmologus ſuo mundi conceptu omnia entia finita cum ſimultanea tum ſucceſſiva, adeoque omne ſpatium et tempus et omnia entium moraliſium regna tamquam finem ſupremum; quare ejus tamquam argumenti exiſtentia Dei alia viſ eſt, quam iſtius, qui tantum opera et inſtituta naturæ complectitur.

II.

Quo dato nixa, quibuſque principiis ſuffulta
mens ſublimem illum Univerſi conceptum in
ſe efformet?

§. 83. Ratio humana cælum ſtelliferum ope principiorum trigonometricorum et ætiologicorum perſcrutata, per quæ corporum cœleſtium magnitudines, diſtantias, revolutiones et ſcopos eruit, detegit immenſum cœli ſpatium tam ingentem ingentium globorum ſeu ſphærarum multitudinem complecti, ut ubicunque locus ſit, pro ſtatione aut orbita alicujus ſideris, ibi etiam reapse ſidus aliquod ſtationem, orbitamve habeat,

§. 84. Ad ejusmodi ingentes globos non tantum tellus, sol et luna pertinent, verum etiam omnia illa, quæ inftar punctorum lucentium in cœruleo cœli arcu defixorum nobis apparent. Quidam ex his ingentibus globis, qui ingentibus a se invicem intervallis distant, gaudent luce propria, vocanturque stellæ fixæ seu soles, alii luce aliena fruuntur. Certus ejusmodi opacorum mundi corporum numerus immediate vel mediate circa globum lucentem velut centrum suum revolvuntur, efficiuntque systema solare a corpore centrali ita appellatum. In nostro systemate solari novem planetæ primarii, quatuordecim secundarii noti cum trecentis circiter cometis circa solem revolvuntur sequenti ordine et intervallo a sole: Mercurius 8, Venus 14, Tellus 20, Mars 32, Ceres x, Pallas x (asteroides), Jupiter 104, Saturnus 200, Uranus 384 millionum milliarium. Terra 1, Jupiter 4, Saturnus 7, Uranus 2 notos satellites habet. Terra est domicilium entium intelligentium et ad hoc omnimode accommodata, cumque reliqui planetæ et cometæ plerique telluri nostræ, qua domicilio, similes sint, et similium rerum etiam fines similes esse debeant, eos pariter domicilia varii generis entium intelligentium esse consequitur.

§. 85. Stellæ fixæ, quarum nonnullæ solem nostrum magnitudine multum superant, sunt totidem soles; nam quamquam ingens est stellarum fixarum a nobis distantia, remotissimorum planetarum distantiam plurimum superans, eorumque nonnullæ 40 millionibus milliariarum in æstate vel hieme a nobis remotiores sint, earum tamen lux valde vivida, remotiorum vero planetarum valde debilis et languida est; quare propria luce gaudent, adeoque totidem soles sunt. Propter principium: *similium rerum similes fines esse statuendum est*, omnem stellam

fi.

fixam esse corpus centrale, circa quod certus numerus corporum opacorum, tamquam domiciliorum naturarum intelligentium stabili quodam ordine revolvitur, adeoque tot systemata solaria dari, quot stellæ fixæ existunt. Plura systemata solaria revolvuntur circa majorem aliquem lucentem globum, cujusmodi Capella est, cujus peripheria 268 diametros solares continet, efficiuntque systema stellarum fixarum. Illa incredibilis stellarum fixarum congeries, quæ instar fasciæ per cæli partem extenditur atque via lactea appellatur, plura ejusmodi stellarum fixarum systemata complectitur, illæ vero stellarum fixarum congeries, quas Astronomi stellas nebulosas et nebulas appellant, cujusmodi Herschel jam anno 1791 ope sui 20 pedes longi telescopii 2000 numeravit, nihil aliud videri possunt, quam viæ lacteæ, quæ nexu suo causali et finali Universum hoc constituunt.

§. 86. Quare hoc nostrum Universum seu cælum stelliferum in se nihil aliud est, quam 1) conjunctio plurium corporum cælestium opacorum ope unius lucentis, seu solis ad constituendum systema solare, 2) conjunctio plurium systematum solarium ope majoris globi cælestis ad constituenda systemata stellarum fixarum, et porro ad constituendas vias lacteas, denique 3) conjunctio omnium viarum lactearum, vel adhuc majorum systematum ad constituendum Universum tamquam totum absolutum, in quo omnia ope mutuæ attractionis in debitis distantis et motibus continentur, atque ad unum supremum scopum consentiunt, nimirum ut omnes globi cælestes sint domicilia naturarum intelligentium omnis possibilis generis. Qui hunc de cælo stelliferro conceptum mente informatum habet, in corporum et systematum cælestium varietate unitatem esse cernit, quæ est perfectio et pulchritudo;

do; inde est, cur Universum hoc nomine *κασμου* græce et *mundi* latine appelletur, quæ vocabula primis ornamentis et elegantie nomina sunt. Plinius Hist. nat. L. II. c. 4. Apulejus de Mundo.

SECTIO SECUNDA.

*Nexum cosmicum et leges cosmicas declarat
et evincit.*

§. 87. In sublimi illo nostro Universi huius conceptu res omnes existentes finitas universalibus quibusdam nexibus et legibus contineri, atque hoc modo absolutum totum constituere supposuimus. In his entium mundanorum nexibus et legibus, quas propterea cosmicas dicimus, illius admirabilis de mundo conceptus realitas, quam dicunt, seu veritas posita est; quare nexuum cosmicorum et legum cosmicarum realitas fidulo declaranda et probanda est, ne omnis ille noster conceptus de cælo stellifero arbitrarius et mere poeticus videatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De nexibus entium mundanorum cosmicis.

I.

Nexus cosmicus definitur, ejusque realitas ostenditur.

§. 88. Inprimis dispiciendum est, an detur aliquis omnium rerum visibilium et invisibilium nexus, quo unum reale totum constituent, et quæ rationes, quæ argumenta adsint, cur cuncta entia finita ex-

sistentia pro unius totius partibus, unum aliquod systema absolutum constituentibus, habeamus; ad quod iudicium sufficere nequit, quod ordine qualicumque omnia entia mundana extra se invicem posita sint, vel sibi succedant, quod utique etiam in meris aggregatis locum habere potest.

§. 89. At si omnia corpora cœlestia cum partibus constituentibus et incolis suis in mutuo commercio posita sunt, ita ut singula eorum proxime vel remote reliquorum vi et bono existant, omnia entia mundana duplici nexu devincta et unita esse consequitur, nimirum *nexu effectivo seu dinamico*, cum alterius entis status ceterorum vi et influxu determinatur, et *finali seu teleologico*, cum alterum etiam propter cetera existit; nimirum ut omnia entia finita, quæ existunt, unius realis totius partes esse censeamus, rationes præsto esse debent, cur omnia magna illa cum nota tum incognita mundi corpora in ejusmodi nexu versari existimemus, qui inter membra corporis organici, cujusmodi humanum est, intercedit, cur adeoque ea vi mutuae attractionis et retractionis distantias et cursus regulares ac structuram congruam sibi invicem efficere et tueri, atque hoc modo apta entium viventium et intelligentium domicilia reddi judicemus.

Antiquos philosophos ejusmodi nexus cosmos vi-
disse, sed non satis accurate definivisse, neque in iis ad-
ferendis a deviis sibi cavisse, ex eorum scriptis invicte
elucet. *Est admirabilis quædam series continuatioque re-
rum, ut alia ex alia nexa, omnes vero inter se aptæ colli-
gateque videantur.* Cic. de Nat. Deor. L. I. *Veteres
omnia unum esse, atque una consensione naturæ constricta
esse dixerunt. Nullum est enim genus, quo certa si ca-
reant, vim et æternitatem suam conservare possint,* Cic.

de Orat. Lib. III. Quinſtilianus idem graviter pronun-
ciavit.

I.)

In hoc mundo omnia entia nexu effectivo devincta sunt.

§. 90. Rerum quarumcunque in mundo constitu-
tio statusque aliarum rerum vi et efficientia determinatur,
i. e. alterius rei indoles ab altera dependet, ut adeoque
alterius rei ex altera ratio reddi, atque hac ratione quid
sit, quidque futurum sit, sæpe colligi possit. Et hujus
quidem rationis, nexusque adeo effectivi seu dynamici
generalissima capita et momenta facile intelliguntur.

Imprimis omnia, quæ in globo nostro terrestri ex-
sistunt, in ejusmodi nexu versari experientia, rectaque
colligendi ratio docet. Illorum chemicorum principio-
rum vi et cohæsione corporum terrestrium, nimirum fosi-
lium, vegetabilium et animalium corporum partes con-
stituuntur, atque in naturæ, quæ dicunt regnis, indivi-
dua quæcunque variarum virium concursu oriuntur, cres-
cunt, senescunt et intereunt. Ingeniorum, et animo-
rum in singulis hominibus varia forma a corporis tempe-
ramento, et usus ratione horumque causis, nimirum a
climatis, victus, educationis vi, regiminis forma et reli-
gionis indole dependet. Ingenium et character variarum
nationum eorumque causæ determinant indigentias, com-
moda et potentiam civitatum, unde mutua harum fata
varia ratione dependent, quæ belli vel pacis opportuni-
tatibus, cognitionum communicatione, et operarum mer-
ciumque permutatione continentur. Accedit, ab exiguis
principiis sæpe maximos eventus, rerumque humanarum
conversiones incredibiles præparari et effici, id quod quam
piu.

plurimis historiae naturalis, politicae et litterariae documentis confirmari potest.

Idem nexus etiam inter corpora mundi totalia, eorumque systemata partialia obtinet; agunt globi, quibus nostrum systema solare constat, invicem se mutuo attrahendo et retrahendo, unde ipsorum distantiae, motus et sic porro tempestates anniversariae, atque dierum et noctium vicissitudines cum aliis dependent. Quod si unicum ex his globis statione sua moveretur, in ceteris ingentes mutationes necessario evenirent; quemadmodum si in globo nostro terraqueo montium catenae directiones suas mutarent in oppositas, necessario in regionibus adjacens mutationes acciderent. Totum systema solare vi stupendae suae attractionis, cum nonnullis aliis ejusmodi systematibus circa majorem quemdam globum caelestem, tamquam centrum cum suis globorum opacorum et habitatorum comitatibus revolvuntur, atque systema stellarum fixarum componunt, plura ejusmodi systemata viam lacteam, omnes vero viam lacteae, ope mutuae attractionis et retractionis omnium illorum systematum ordines et cursus suos determinant, atque universum hoc constituunt.

II.)

In hoc mundo omnia entia etiam nexu finali copulantur.

§. 91. Entia praeterea in hoc mundo alia ad aliorum, tamquam finium suorum usus apta et accommodata, atque se invicem proxime vel remote uti media, instituta et fines respiciunt, ita ut alia sint tantum media, alia vero fines, vel relativi vel absoluti, intermedii vel supremi, nascanturque finium catenae, quae ubique aliquo entium intelligentium genere terminantur.

In

In tellure nostra omnia entia se mutuo velut media et fines respicere experientia et recta colligendi ratio evincit. Corpora terrestria inorganica, cum fluida tum firma uti lux, calor, ignis, aër, venti, aqua, nubes, fossilia, montes tantum *externam*, ut ita dicam, *finalitatem* (äussere Zweckmäßigkeit) habent, quia organicis, i. e. plantis, bestiis et hominibus, tamquam finibus, vel relativis vel absolutis, quorum propterea *finalitatem internam*, (innere Zweckmäßigkeit) appellare liceat elementi et alimenti usum præstant. Iisdem finibus globi terraquei figura sphaeroidica, et superficies aquis et terris, zonis variæ magnitudinis, ac montibus et planitiis admirabiliter distincta congruunt.

Tellus in systemate solari eum ad ceteros suos comites situm constanter tenet, talibusque motibus nimirum diurno et annuo agitur, ejus axis ad planum orbitæ annuæ eam inclinationem habet, atque a tali satellite cingitur, ut finium illorum catena vim et æternitatem suam conservare possit. Totum systema solare in systemate stellarum fixarum, et viarum lactearum pariter illis finibus congruos situs et motus, ope mutuæ attractionis et retractionis habere, atque idem de omni omnino corpore cælesti valere ratio præjudiciis libera ambigere nequit.

III.)

Mundi sensibilis et intelligibilis discrimen et nexus.

§. 92. Mundus aspectabilis, i. e. uti a nobis visu percipitur, seu cælum stelliferum est phænomenon indefinitæ magnitudinis, sed bene fundatum; ejus itaque existentia non tantum existentiam sui complementi, adeoque

que universi, sed etiam existentiam entium analytice absolutorum arguit; in composito enim reali, quemadmodum synthesis non terminatur nisi toto absoluto seu universo, ita analysis non terminatur nisi substantiis absolutis, quæ sunt duplicis generis, nimirum principia intima naturarum corporearum, et absoluta subiecta cujusvis conscientiae, hujusque modificationum corporibus organicis unita. Hæ substantiæ metaphysicæ, οντος οντα, etiam duplici nexu uti phænomena somatologica et psychologica, quibus substant, nimirum effectivo et finali copulatæ sunt, atque mundum intelligibilem aspectabili substratum constituunt; quare Kantius falso mundum aspectabilem, pro mero sensualitatis et intellectus mentis humanæ opere seu fœtu habet, quod si reapse esset, ejus constitutio a Kantio nec pro secundo existentiae, et perfectionum Dei argumento haberi posset.

II.

Sententiæ quædam nexum cosmicum spectantes examinantur.

I.)

An nexus cosmicus eorum, quæ in mundo sunt, vel fiunt, fatalem necessitatem adjunctam, vel casualitatem adversam habeat?

A.

De iis, quæ in mundo fati vi fieri dicuntur.

I.)

Fati cæci definitio et forma.

§. 93. Ex falsis et mancis de omnium rerum et eventuum in hoc mundo nexu conceptibus varias de fato opiniones nasci facile intelligitur. Et reapse fuisse, qui omnia entia, adeoque etiam intelligentia uti sunt homines in existendo atque agendo et patiendo absolutæ et cæcæ, i. e. tali necessitati, quæ nullis certis causis et finibus constitueretur, obnoxia esse contenderent, ex historia philosophiæ constat. Ejusmodi necessitas *fati*, ejusque assertio et persuasio *fatalismi* nomine proprie intelligenda est. Pro diversitate fontis, a quo varii infandam illius absolutæ et cæcæ necessitatis existentiam repetunt, fati formas concipimus et denominamus. Nimirum, qui mundum non causæ a mundo diversæ et intelligentis necessitate, sed cæca virium materialium efficientia existere et volvi, aut infinitis duorum unius substantiæ attributorum modificationibus contineri sumit, aut

omnia in mundo immutabili Dei præscientia et voluntate, cœcove ejus arbitrio prædeterminata evenire contendit, aut denique naturas et fortunam singulærum hominum a peculiari astrorum natalium influxu dependere statuit, fatalem necessitatem ejus, quod homines sunt et gerunt, adstruere censendus est; unde fati atheistici et spinosistici, deinde stoici et turcici, denique chaldæici seu astrologici appellationes natæ sunt,

2.)

Fatalismi insania, vis pestifera et fontes.

§. 94. De fatali morum et fortunæ in singulis hominibus necessitate persuasiones justis de mundi, Dei et hominis natura conceptibus repugnant. Mundus, in quo omnia causarum et effectuum atque finium et mediorum ordine consistunt et procedunt, non materiæ brutæ, sed intelligentiæ sapientis opus est, adeoque omnem fatalem necessitatem excludit, et tantum providentiæ administrantis regimen innuit. Homo, qua ens physicum ordini et cursui naturæ inevitabiliter obnoxius, qua ens morale vero, cui ratio recte et beate vivendi normam monstrat, ejus voluntate vel exequendam vel deferendam omni natura superior est. Sed non tantum falsæ verum etiam pestiferæ sunt omnes de fatali omnium, vel saltem eorum, quæ in vita hominum gravissima sunt, perfecta necessitate opinationes; aperiunt enim divinationum superstitionibus et fraudibus, atque ignavæ rationi aditum, quæ omnem causarum investigationem et prudentiæ solertiam superfluam et inanem reddit. Historia generis humani docet, persuasiones de fati cœci dominatu maxime gentium et hominum rudium mentes tenere, atque ab iis, qui apud eas magorum et vatum auctoritatem sibi

arregant conservari et propagari; apud cultas gentes vero improbos subinde astrorum et fati vim accusare, ut aliquam delictorum suorum excusationem prætexerent, atque eruditos nonnunquam immoderatis speculationibus eo devenire, ut vitam humanam fato regi statuunt.

B.

De iis, quæ in mundo casu et fortuito fieri dicuntur.

1.)

Casus et fortunæ nominum potestas explicatur.

§. 95. Nonnulli aut fati illam scyllam evitaturi, aut eadem veri rerum et eventuum in mundo nexus et necessitatis inscitia, qua fatorum adsertores ducti in oppositam casus puri et fortunæ cœcæ charybdim inciderunt. Historia philosophiæ, et usu loquendi teste *Casus* nomen subinde jam ad causam deceptricem, jam ad causam deficientem denotandam adhiberi, uti cum Epicurus clinomen atomorum casu seu casus vi evenisse, Premontualius vero veram libertatem sine casualitate (hazard) consistere non posse dicit, cum ens libere agens in perfecte iisdem circumstantiis una vice velle, altera idem non velle possit, ejus adeoque decretum relate ad alios merus casus sit; subinde autem veram, sed ignotam et latentem causam ejus, quod factum est, indicandam applicari constat, uti cum ulus loquendi quædam incendia casu oriri, quasdam plantas casu nasci, atque quædam ingenia casu in aliquid incidisse dicit. Cum vero quædam *fortuito* facta vel fieri dicuntur, ea vel sine causa intelligente a viribus materialibus temere concursantibus effecta, uti cum Epicurus rerum genera et ordinem fortuito existisse dicit,

vel

vel sine semine præexistente nata, uti cum veteres historiae naturalis scriptores quædam animalcula per generationem æquivocam nasci ponerent, vel denique a causa quidem intelligente profecta, sed sine ejus consilio, v. g. inventa vel sine ejus proposito, v. g. violata esse statuuntur.

2.)

Casus puri et fortune cæcæ absurditas ostenditur.

§. 96. Qui cum casu aut fortuito aliquid ortum statuunt, non occultas aliquas causas, latentemque earum concursum et agendi modum $= x$, aut causam cognitionis et consilii ductu operantem, sed aliquid plane inconceptibile, aut cognitionis et consilii in agendo expers casus et fortune nomine veniens esse putant, a quo aliquid profectum sit, ii, si rem satis perpendere velint, *in primo casu* defectum causæ $= o$ pro causa efficiente habent, adeoque aliquid a nihilo esse statuunt, quo nihil absurdius esse potest; *in altero vero casu* opera intelligentiæ et consilii signis plena, in quibus variæ partes aut dotes invicem aptæ, utiles et accommodatæ sunt, sine causæ intelligentis consilio et opera nata esse, adeoque in effectu plus, quam in causa contineri statuit, quo pariter nihil absurdius esse potest. Agnoscunt Epicurei a nihilo nihil esse posse; at cum nec per notas designare, nec fingere velint, quæ causa sit, nomen inane *casus et fortune* effutiunt. Premontualius cum libertati casualitatem necessario adjunctam esse dicit, absurdam illam de voluntatis libertate et arbitrio notionem fovet, quo hæc pro facultate sine omni (aperta et clandestina,) et contra omnem rationem agendi habetur. Voluntas nec decernit, nec decreta su-

spendit, ab iisve desistit sine omni ratione; urget: nisi in iisdem circumstantiis una vice velle, altera idem nolle valeamus, nos necessario, non libere, velle. At Premon-
tualius nec hoc probavit, bis plane easdem circumstantias exsistere posse, nec illud, æquabilem in iisdem adjunctis agendi modum agendi necessitatem, libertati adversam arguere. Quare casus et fortunæ nomina nunquam veras causas innuunt.

II.)

An nexus cosmicus eventuum supernaturalium, et miraculorum possibilitatem excludat?

I.)

Eventus naturales, mirabiles, supernaturales et miracula stricte talia definiuntur.

§. 97. Quamquam omnes mutationes seu eventus, qui in mundo fiant, causam requirunt, cujus vi exsistant, non tamen omnium causa in mundo ipso contineri debet; quare duo eventuum in mundo genera, nimirum naturalium et supernaturalium concipimus, atque utraque vel ordinaria vel extraordinaria esse cogitamus. Quod ut rectius perspiciatur et adhibeatur, ejus, quod in mundo naturale sit, cum sensu vulgari, tum cosmologico, et istius, quod in eo supernaturale et miraculum sensu stricto sit, notiones accurate definiendæ sunt.

§. 98. Sicuti in quovis ente peculiari naturale est, quod ex propriis viribus et legibus ejus entis consequitur, vel sine omni aliarum rerum auxilio, vel non nisi ope generalis earum concursus, sive id sæpe, prævisum et explicabili modo, sive raro, inexpectatum et inexplicabili ratione eveniat, adeoque *admirationem* commoveat;

ita in mundo, in natura universa ii eventus naturales dicendi sunt, quorum causa in ipsorum entium mundanorum viribus et legibus earumque nexu continetur, nullo vel tantum generali entis a mundo diverſi, i. e. Dei concursu accedente, five ejusmodi eventus ſint ſoliti, ordinarii, comprehenſibiles, five inſoliti, extraordinarii, incomprehenſibiles, adeoque *admirabiles* (eventus naturales ſenſu vulgari et cosmologico). Quod ſi in mundo certi eventus acciderent, quin a viribus entium mundanorum five ordinaria, five extraordinaria eorum cauſalitate efficerentur, ejusmodi eventus non eſſent e numero naturalium; ſuperarent nimirum vires naturæ, adeoque *ſupernaturales* forent, et quia tamquam effectus cauſam tamen habere deberent, non niſi ab ente extra- et ſupra-mundano (auctore mundi) immediate effecti, adeoque ſpectata cauſa *extranaturales* forent. In machina quadam mutationes aut vi mechanismi et quidem hujus cauſalitate vel ordinaria et aperta, vel extraordinaria et occulta, aut vi aſſiſtentis artiſicis et quidem certo ordine, vel ſine certa lege produci poſſunt; his mutationibus ſpectata cauſa analogi ſunt eventus in mundo naturales et ſupernaturales, ambo cum ordinarii tum extraordinarii.

§. 99. Ut certi eventus in mundo recte pro ſupernaturalibus habeantur, non ſufficit, nullam eorum a viribus naturæ dependentiam perſpici poſſe, quod propter inopiam noſtræ, quam de potentia entium mundanorum habemus, cognitionis, tam facile accidit; verum hoc neceſſario requiritur, ut penitus perſpiciamus, certos eventus a naturæ virium five ordinaria, five extraordinaria efficientia proſciſci plane non potuiſſe, quæ certitudo tum ſolum locum haberet, ſi penitus perſpectum eſſet, datos eventus non niſi vi infinita effici poſſe. Inde enim

enim solum, quod certi eventus sint plane insoliti et incomprehensibiles, non magis inferre licet, eos non esse supernaturales, quam ex eo, quod alii plane ordinarii sint (creatio animarum humanarum), concludere licet, eos non esse supernaturales. Quare *miracula sensu cosmologico* sunt eventus supernaturales et extraordinarii.

2.)

Possibilitatis et fidei miraculorum fundamenta exponuntur.

§. 100. In mundo hoc omnia non modo conditionata et dependente ratione existunt, nihilque plane sibi met ipsi ad existendum sufficit, verum etiam præter proprios fines adhuc quosdam communes et eundem supremum finem respiciunt; quare mundus non modo dependenter, verum etiam consilio entis ab ipso diversi existit, cujus vim eo, quo artificium artificem suum, modo respiciat; quare et auctorem et rectorem habet, qui non modo operi suæ intelligentiæ, voluntatis et potentiæ eam constitutionem primitus impertiri potuit, ut in eo subinde ejusmodi eventus acciderent, quos ratio, perpensis omnibus adjunctis, pro extraordinario Dei concursu habere deberet (miracula minora, Malebranchii), verum etiam tamquam illimitatus mundi Dominus, qui naturam immutabilibus adstrinxit legibus, quin tamen ipse earum vinculis adstrictus sit, secundum optima et æterna suæ sapientiæ et voluntatis consilia et decreta, leges et ordinem naturæ suspendere atque immediate certos effectus conspicuos in mundo aspectabili edere possit (miracula majora, stricte talia, Wolfii); quare miracula etiam primi ordinis omnino possible sunt atque ab eventibus insolitis, minus naturalibus *hoc criterio indirecto et plane*

infallibili dignosci possunt, quod vim infinitam requirant, adeoque potentiam naturæ plane superent, quæ quidem immensa, at nullo modo infinita haberi et dici potest.

§. 101. Frequentiora vero miracula cum per ea ordo et cursus naturæ suspenditur, expectare summi rerum administratoris sapientia non patitur, cumque plurimi in mundo eventus e naturalium genere sint, naturale est, ut in dubio datum aliquem eventum, quamquam minus naturalis, i. e. admodum singularis sit, atque aliorum, quorum causas jam novimus, similitudine comprehendi nequeat, naturalem tamen esse judicemus. Philosophus, qui potentiam efficientiamque naturæ nullo modulo a nobis dimetiendam, atque longe maxima parte nobis adhuc occultam esse novit, qui præterea considerat, quam pestifera sit moralitati et salutis publicæ superstitio et fraus ad miracula pertinens, tamdiu vi officii et juris sui eventum quemcunque, etiam plane singularem et minus naturalem pro impostura vel pro cosmologice naturali sed insolito habet, donec instituto riguroso examine ejusmodi adjuncta et argumenta innotescant, *ut jam ab ipsis cogitandi legibus abhorreere videat, eventus quosdam singulares pro fraudis commentis, vel naturæ operibus potius, quam pro factis credibilibus et supranaturalibus habere velle.* Qui his conditionibus et limitibus fundatam et circumscriptam fidem miraculorum biblicorum, quæ exegeleos censuram sustineant, quæque ad introducendam præstantissimam et saluberrimam religionem, ut ejus divina origo luculenta sit, patrata sunt, *thaumatomaniam* esse dicit, *puerili aut plane maligna et impia thaumatophobia* laborare censendus est.

ARTICULUS ALTER.

De legibus entium mundanorum cosmicis.

I.

Notio legum naturæ cosmicarum. Ratio eas
in natura supponendi.

§. 102. Omnis variorum ad unum totum constituendum nexus et consensus fundat multiplicem necessitatem, qua varia illa existant et agant, ut unum totum constituent; ejusmodi necessitatis formas, formulis conclusas et exhibitas, *leges* dicimus; quare etiam leges quasdam dari necesse est, quæ nexu illo cosmico stabiliantur, quo omnia entia finita, cum materialia tum spiritualia, cum phænomena tum noumena universum hoc constituunt. Quas leges cum omnium entium mundanorum communem existendi et agendi modum definiant, *leges cosmicas* appellare oportet, ut ab aliis naturæ legibus internoscantur.

§. 103. Cum vi nexus et consensus cosmici omnia simultanea et successiva, permanentia et transeuntia in mundo causarum et effectuum serie continua, et finium ac mediorum ordine non interrupto immediate vel mediate cohæreant; seriem eorum et continuationem seu continuitatem, deinde congruentiam et adæquationem mutuam, seu parisoniam, denique conservationem, varietatem et unitatem in varietate leges esse consequitur, quibus omnium omnino mundanorum entium existendi agendi modi subsint. Hoc significatu et fundamento leges cosmicas continuitatis, parisoniæ, conservationis atque varietatis in natura et unitatis in varietate dari, dubium videri nequit.

§. 104. Sed leges cosmicæ a nexus cosmici idea et veritate ductæ, quamquam irrefragabiles, ad captum tamen et usum communem aptæ satis et accommodatæ non sunt; quare ab experientiæ fonte peti debet earum notitia usibus philosophicis, i. e. conjectandis et detegendis rerum causis et affectionibus, quibus earum suppositio sæpe servierat, uti in Leibnitio, Newtono e. a., quamquam hæc iis non absolutam, sed comparativam universalitatem et probabilitatem tantum conciliare possit.

II.

Leges cosmicæ ad experientiæ ductum conceptæ.

I.)

Lex continuitatis in natura.

§. 105. Lex continuitatis, qua omnis a naturæ æconomia hiatus, adeoque omnis in simultaneis, i. e. rerum generibus lacuna et omnis in successivis, i. e. causarum et effectuum seriebus saltus excluditur, triplici proprio vi et argumento se contemplantibus prodit:

1. In naturali rerum ordine nihil negligitur, quod ad scopos naturales obtinendos necessarium est, neque, quod in humanis institutis et moliminibus non infrequens est, ad finem unquam contenditur mediis nondum præparatis et satis instructis; imperfecta, quæ in regno vegetabili et et animali occurrunt individua, huic legis parti adversa non sunt.

2. In rerum naturalium descriptione nullum genus, nulla species rerum desideratur; rerum genera et species tam presse se excipiunt, ut nullus sit vacuus locus re-
lic.

lictus. Hæc legis pars adeoque non requirit; ut omnia in natura essentiæ identitate convenient et tantum gradus diversitate distent, uti Robinetio et Sellio visum est. Mineralia organisatione, plantæ sensu et arbitrio, belluæ ratione et libertate destituuntur, adeoque essentia constanti, et non gradu variabili tantum a se invicem et ab homine differunt.

3. In motu, cogitatione et in omni mutationum et statuum naturalium genere, in omni incremento et decremento remota, extrema et opposita quæ sunt, nunquam immediate sibi succedunt, sed ab uno ad alterum progressus vel transitus fit per gradus et status intermedios cum majori subinde vel minori acceleratione.

II.)

Lex parsimonix in natura.

§. 106. Legis parsimonix seu minimi quam Cosmologi dicunt, hæc vis est; in natura omnia ita esse comparata et disposita, ut nihil frustra, nihil superfluum, nihil mancum sit, ut minimo virium impendio effectus maximi, et paucissimis ac simplicissimis mediis fines et usus plurimi obtineantur. Ejusmodi parsimonix documenta subministrat:

1. Contemplatio cœli stelliferi, ubi spatia et vires ita distributæ, atque directiones motuum ita ordinatæ sunt, ut minimis ubique impensis plurimum efficiatur; sola attractionis et retractionis vi et lege is omnium, quibus universum continetur, innumerabilium orbium celestium ordo sustentatur, quo singuli apta existunt entium viventium et intelligentium domicilia.

2. Contemplatio globi nostri terraquei, cujus figuræ, structuræ, motuum et elementorum ratio maxime varios

et innumerabiles usus præstat; quo fit, ut ea sit ubique plantarum et animalium varietas et copia, eaque tempestatis ratio, ut ab hominibus ubique incoli, et hi in aliquo commercio esse possint.

3. Contemplatio ipsius hominis, qui ea est corporis, mentis et animi indole, ut corporis sui vi omnis climatis incommoda perferre, mentis vero et animi sui dotibus societatem colere, atque ita omnia vitæ præsidia et commoda sibi procurare, et continua perfectionis incrementa capere possit

§. 107. Quamquam vero non omnia ubique phenomena aperte ad hujus legis consensum perducì possint; contrarium tamen alicubi esse nulla experientia, nullo ratiocinio confirmari et evinci potest. Cogitandum nimirum, nos naturæ instituta et fines falso concipere, eique plures scopos propositos esse posse, quam qui nobis appareant. Quæ pro contrario adducuntur, aliqua facili opera refelli possunt, cujusmodi certe illud est ab innumera florum, unde fructus non existunt, multitudine petiti argumentum.

III.)

Lex conservationis, varietatis et unitatis in varietate rerum,
Aliarum quarundam legum vestigia.

§. 108. Quamquam natura ubique rerum intereuntium documenta innumera præbeat; tamen hoc certum est, omnes interitus et destructiones in natura esse ortus et generationes aliorum, atque transitus entium ad novos et perfectiores existendi modos, nihil omnino in ea anihilarì, nullum rerum genus, nullum corpus mundi totale, nullam vim primitivam deleri.

§. 109. Maximam esse rerum in mundo varietatem et quidem talem, ut neque duas cujuspiam generis res deprehendere liceat, in quibus non aliquam vel liberis vel armatis oculis differentiam observare possimus experientia satis constat, atque ex diversitate adjunctorum facile intelligitur. In admirabili vero ista rerum varietate multiplicem unitatem reperire licet; omnia enim non modo propriis, verum etiam communibus affectionibus prædita, et legibus ac finibus subiecta sunt, atque ultimo ad actionis, vitæ et sensus procreationem et conservationem, atque ad entium moralium usum tendunt.

§. 110. Præter has cosmicas leges adhuc aliarum quarundam vestigia occurrunt; nimirum, 1) contrariis viribus et nisibus in natura omnia peragi, eorumque æquilibrium omnia conservari, 2) homogenea in natura, in mutuam unionem et societatem tendere, heterogenea se repellere, 3) extremorum seu maxime distantium statuum similia esse consecutaria et adjuncta.

SECTIO TERTIA

Mundi hujus perfectionem totalem contemplatur.

§. 111. Cum metaphysici de universi hujus perfectione et bonitate quærunt, primo an mundus hic in se spectatus perfectionis et bonitatis characterem gerat, deinde an omnium possibilium optimus sit, inquirere debent.

ARTICULUS PRIMUS

An mundus hic in se spectatus perfectus sit,
investigat.

§. 112. Mundi hujus totalis perfectio et bonitas in nulla alia re posita esse potest, quam in ejus constitutione per omnes suas partes accomodata ad fines suos consequendos. Quare ad mundi perfectionem et bonitatem totalem requiritur, ut quidquid in eo inest, ad fines suos tendat, ut adeoque singula entia et instituta ad fines suos proprios per proprias leges tendant, omnes vero hi particulares fines in sua coordinatione et subordinatione vi legum universalium ad finem aliquem supremum conspirent. Et profecto universum hoc in illis innumerabilibus globis multitudinem et varietatem entium viventium et intelligentium, quæ omnem mentis nostræ captum superat, complectitur, atque in omni sua constitutione ad hoc comparatum est, ut naturæ sentientes et intelligentes ea fruantur salute, cujus illæ per naturam suam capaces, et istæ per moralem suam bonitatem dignæ sunt. Quare mundus hic in se spectatus perfectus et bonus est; id quod propius elucet, si finem 1) corporum mundi totalium et 2) entium intelligentium investigemus,

I.

De fine corporum mundi totalium.

§. 113. Ingentes et innumerabiles illi orbes cælestes, quorum complexu immensum hoc universum continetur, ad hoc primario comparati sunt, ut eorum quod-

quodvis sit domicilium certi entium intelligentium generis.

I.)

Globus noster terraqueus destinatus et omnino idoneus est, ut ab humano genere incolatur.

§. 114. Tellus nostra stupendam contemplanti rerum varietatem objicit, rudibus et vita expertibus materiæ concretionibus et massis, atque organicis et viventibus naturis universe distinctam. Illæ multiplicem usum præstant, quin ullum ab aliis recipiant; vegetabilia, quibus res inorganicæ proxime inserviunt, *finis naturæ* sunt, sed infimus, sensus expertia per incredibiles suas copias regno animali multiplicem usum præstant; animalia bruta non sunt mera automata, verum sui rerumque extra se positarum conscia vitæ jucundæ sensu permulcentur, quare pro fine naturæ non quidem infimo, at vero etiam non pro summo habenda sunt. Multitudo eorum captum nostrum longe superans ad hoc comparata est, ut omnes, quas tellus complectitur, rerum utilium copiarum usum fructumque præstent; at ratione destituta sensu solum moventur et instinctu continentur, quare sibi nata suique solum causa facta videri nequeunt. Homo hoc maxime distat a bellua, quod ratione potitur, qua rerum vires, leges et fines cognoscere, adeoque omnia ad se referre, sui causa esse sibi que subicere potest, quare pro summo naturæ fine et proprio telluris incola haberi debet; et profecto nihil adest vel deest, sive in terra, sive in homine, quo minus ea pro apto hominis domicilio, tamquam atrio futuræ vitæ habeatur.

Omnes mundi orbes, cum lucentes tum opaci, similem finem habent.

§. 115. Cum tellus nostra, quæ inter planetas primarios medium pene locum tenet, vegetantibus, sentientibus et intelligentibus naturis adeo referta est, vi principii illius, quo ratio humana similibus rerum similes fines esse statuit, colligere necesse est, etiam ceteros illos opacos globos terræ nostræ circa solem comites non tantum indigestis massis constare, verum etiam organicas sentientes et intelligentes naturas tamquam fines, vel relativos vel absolutos in globosa sua superficie gestare. Plerique cometæ ceterique cum primarii tum secundarii planetæ athmosphæram habent, revolvunturque vel immediate vel mediate circa solem, quibus rebus tellus entium viventium domicilium efficitur; solis officio, ut in ditione sua sit perpetua lucis, caloris et vitæ scaturigo, non obstat, quo minus etiam a certo entium intelligentium genere incolatur; certe corporis solaris constitutio talis videri nequit, quæ hoc impediat, et parsimonia illa, propter quam quævis in natura res plurimis usibus inserviat, sententiam hanc assensu dignam efficit. Cum præterea quævis stella fixa propria luce gaudeat, adeoque uti sol noster opacorum globorum, quæ sint entium viventium et intelligentium domicilia, comitatu cingatur, universum hoc multitudinem entium viventium, quæ omnem humanum captum longe superat, continere confitendum est.

II.

De fine entium intelligentium.

I.)

Cujus boni obtinendi causa homines ratione potiantur?

§. 116. Entia intelligentia ratione, uti bruta instinctu fines suos consequuntur; quare quaestio, qui sit entium intelligentium finis supremus, hoc sibi reapse propositum habet, ut inquiratur; cujus summi et absoluti boni obtinendi causa eis ratio data sit. Quæ quaestio si perspicuitatis causa ad hominem speciatim referatur, quaeraturque, cur homo primario ratione potiat, responsio, quæ vere de homine valeat, etiam de ceteris entium ratione præditorum generibus valere debet.

§. 117. Data ratio hominibus primario est: 1) vel tamquam fruendi magistra, ut iis in comparandis, multiplicandis et variandis sensuum voluptatibus harumque causis et mediis consecrandis inserviat; sed nullæ rationis humanæ partes cogitari possunt, quæ eam magis et deprimant et superent, 2) vel tamquam sciendi magistra et officina, ut ejus usu homines scientiarum fines continuo extensive et intensive prorogent; at hic finis absolutum pretium non habet, nec omnibus in hac vita propositus esse potest, 3) vel denique tamquam vivendi magistra, ut homines ad illam rationi insitam normam sensus moresque componant, adeoque animi tranquillitatem consequantur et vitæ prosperitatem mereantur, quæ res summum entis ratione et libertate præditi pretium et bonum constituit, omnibus quæcunque sit nascendi et ingenii fors atque fortunæ ratio, prorsus patet, eamquam consecrantes nullo modo sibi adversantur sed opitulantur.

II.)

An fini huic mala, quibus humanum genus obnoxium est, adversentur?

§. 118. Ad persuasionem de mundi perfectione et hominis fine labefactandam maxime illud multiplex malum, cui humanum genus obnoxium est, valere, neque illa cum hoc conciliari posse, visum est nonnullis etiam probis. Malum triplex distinguunt, nimirum metaphysicum, morale et physicum; primum in limitatione essentiali, secundum in peccatis et vitiis, tertium in doloribus et ærumnis hominum positum est. Malum illud, quod essentielles naturæ humanæ defectus denotat, cum per se homines nec vitiosos nec miseros efficiat, malum reapse non est; malum vero morale et physicum cum iis, quibuscum conjunctum est, principiis et sequellis consideratum, persuasionem illam non modo non evertit, sed quam maxime confirmat, modo in mali apologia caute versetur.

§. 119. Mali moralis inter homines existentia independet, quod voluntas eorum non tantum rationis, quæ diu imbecilla et impedita est, præceptis et lumine, verum etiam et quidem longe prius sensualitatis illecebris et impetu trahantur, donec tandem ratio adolescere et voluntas rationis imperio assuescere, ejus jussa revereri, et sponte, retinente licet concupiscentia, iis obsequi incipiat, in quo ejus absolutum pretium, i. e. ejus bonitas moralis posita est. Malum vero physicum partim ordini et cursui naturæ adjunctum est, sine quo nec scientia, nec prudentia, nec omnino virtus, adeoque nec tellus nostra entium perfectibilium domicilium foret, quæ ad finem suum ex continuitatis lege actuandum sine fine progreditur.

grederentur; partim ex ipso malo morali efflorescit, ut hoc formidabile reddat, et ejus vindicem et frænum agat.

§. 120. Mundi itaque constitutionem propter mala illa rem in nexu perpendentes reprehendere nequeunt, sed potius admirari debent, nullum enim reperire licet malum, quod sine majori detrimento aut plane averti, aut magis restringi potuisset. In tellure nostra et in hac terrestri hominum vita, quæ sunt tantum universi et vitæ particula, plus boni quam mali utriusque locum habere, inde irrefragabiliter elucet, quia mala magis quam bona spectatoris animum commovent, ex quo mala minus ordinaria et exceptiones, bona vero magis ordinaria et regulas esse consequitur. Qui tamen vel 1) in quovis ente finito perpetuum boni et mali æquilibrium esse, vel 2) nihil esse in mundo simpliciter malum, quia ex malo sæpe plurima bona oriantur, et partium defectus sæpe totius virtutes sint, vel denique 3) per stultitiam, vitia et his adjunctas calamitates naturam homines ad perfectionem et virtutem ducere debere contendunt, limites *rationalis mali apologiæ* transgrediuntur.

ARTICULUS ALTER.

An mundus hic omnium possibilium optimus censi debeat, disquirat.

§. 121. Cum latius possibilem quam actualium sphaera pateat, quæsiwerunt Metaphysici, an præter hunc mundum adhuc alii possibiles sint, et an mundus actualis omnes possibiles perfectione et bonitate superet, adeoque omnium possibilium optimus sit.

An plures uno mundi possibiles sint?

§. 122. Cum quæritur, num plures uno mundi possibiles sint, mundi nomine vel quivis globus mundanus intelligentes incolas complexus, vel tantum absolutum aliquid totum entium finitorum intelligitur, priore sensu non tantum plures uno mundi possibiles sunt, verum etiam reapse existunt; rationes supra allatæ sunt, cur omnes omnino orbes cœlestes ab entibus intelligentibus inhabitari iudicandum sit. Sensu vero posteriore cum mundi nomen accipitur, videndum est, quam possibilitatem, an internam et absolutam, vel externam et hypotheticam quæstio spectet?

§. 123. Et quidem cum de possibilitate plurium mundorum absoluta quæritur, nihil profecto aliud intenditur, quam ut decernatur, an non plurium uno mundorum cogitatio repugnantiam talem involvat, qualem cogitatio plurium substantiarum infinitarum seu perfectissimarum involvit. Cum non repugnet alios rerum finitarum coexistendi et succedendi ordines cogitare, siquidem hoc modo nec entium mundanorum finitudo, eorumve nexus per spatium, tempus, causas et fines, nec eorum totalitas absoluta, habilitasve ad entium intelligentium existentiam tollitur, consequitur, plures uno mundo sine repugnantia cogitari posse, adeoque interne seu absolute, ut dicunt, possibiles esse.

§. 124. Cum vero de plurium mundorum externa seu hypothetica, ut ajunt, possibilitate quærimus, hoc nobis propositum habemus, ut constituamus, an ex pluribus mundis absolute possibilibus, quorum alter alterum mul-

multitudine et gradu boni physici et moralis superaret, quivis etiam minus comparative perfectus et bonus objectum et opus esse possit electionis creatricis, entis optimi, quo summa sapientia, sapientissima benevolentia et sanctissima, in quam nullus abusus cadat, libertate potitur? Inde illæ duæ sententiæ Optimismi et Antioptimismi nomine celebratissimæ,

II.

Optimismi expositio et disquisitio.

I.)

Mundi optimi notio.

§. 125. Ad mundi optimi rationem hoc requiritur, ut *primo* maximum, qui una esse possunt corporum cælestium, velut vitæ domiciliorum numerum complectatur, *deinde* ut maximam, quæ esse potest naturarum moralium varietatem contineat, quæ in omni sua duratione gradus felicitatis earum moralitati proportionati participes fiant, *denique* ut minimis et paucissimis malis, quibus nec optima, i. e. plurimum physici et moralis boni continens entium finitorum universitas carere potest, obnoxius sit.

II.)

Quibus considerationibus et sumtionibus permoti philosophi omnis ævi celeberrimi, mundum hunc omnium possibilem optimum esse censuerint?

§. 126. Atque mundum actualem illo sensu omnium possibilem optimum esse, non tantum cæli stelliferi immensitas suspicari, verum etiam ejus auctoris sanctissimi et beatissimi natura judicare rationem humanam irrefra-

gabiliter cogit; hæc enim auctoris mundi hujus natura postulat, ut eam mundi constitutionem elegerit et effecerit, in qua sit plurimum beatitudinis mediis ubique accommodatissimis obtinendæ; quare mirum non est celeberrimorum omnis ævi philosophorum apophlegma fuisse: mundum hunc optimum esse, cum entis optimi opus sit. Ex quo consequens est, 1) de mundi perfectione ex ejus partis et periodi contemplatione accurate et tuto judicium ferri non posse, cum ea, quæ in fragmento quodam, vel in una vitæ periodo imperfectio et calamitas esse videntur, in totalitate bona et exoptanda esse intelliguntur, 2) leges cosmicas, quas supra experientia duce cognovimus ad mundi optimi naturam ita pertinere, ut sine iis mundus nec perfectus, nec optimus cogitari possit.

III.)

Vindiciæ optimismi.

§. 127. Crusii Antioptimistarum acerrimi, ex quo ceteri hortulos suos irrigarunt, rationes ita comparatæ sunt, ut præjudiciis liberam mentem movere et tenere plane nequeant. Imprimis, cum propterea mundo huic prædicatum optimi denegandum contendant, quia hic limitatus est, aperte entis optimi, quale solus Deus est, conceptum cum mundi optimi conceptu confundunt. Dein cum propterea nullum mundum optimum dici posse affirmant, quia omnis mundus finitus esse debeat, et omni finito ente quid melius cogitari possit, non animadvertunt, omni finito quidem aliquid melius, sed non semper ejusdem, verum tantum alterius generis, cujusmodi est spiritus perfectissimus, cogitari posse debere, adeoque si quoquo-

vis, adeoque omni mundo possibili melior cogitari posset, utique omnes mundi non tamen essent omnes, quod repugnat. Addunt: si Deus mundum optimum eligere debuit, et si, quem produxit, reapse omnium possibilium optimus est, non jam libere elegit, atque potentiam suam exhaustit; sed optimi electione nec libertas Dei sublata, nec potentia ejus exhausta videri potest, necessitas optimum eligendi est gloriosa sapientiæ et sanctitatis, adeo-moralis, non vero physica sive interna sive externa necessitas; atque qui optimum fecit, adeoque melius quid efficere nequit, nec impotens, nec ejus potentia, quæ continuo mundum hunc actuat, i. e. conservat, propterea exhausta videri potest.

CAPUT ALTERUM

Doctrina de Auctore universi, i. e. Deo

f e u

Theologia naturalis.

Definitio, partitio et usus Theologiæ naturalis.

§. 128. Theologia naturalis est doctrina de auctore et rectore hujus universi, quatenus is, nimirum ejus natura, i. e. ejus existentia et attributa, ejusque cum hoc universo conjunctio rationi humanæ ex ipsa hujus universi constitutione argumentando innotescit; quare Theologia naturalis duplicis generis disquisitiones continet, primo istas: an et quis sit Deus? deinde illas: qua ratione auctor et rector hujus universi esse censendus sit.

§. 129. Cum justa et solida cognitio Dei, i. e. auctoris et procuratoris hujus mundi et generis humani,

efficacissima subministrèt ad omnia officia custodienda, et ad omnia recte vivendi consilia fuscipienda vel confirmanda invitamenta, atque firmissima jaciat veræ magnitudinis, constantiæ et tranquillitatis animi fundamenta, intelligitur Theologiam naturalem esse scientiam maximi momenti, adeoque a philosopho summa cum cura pertractandam, cum sine ejus accuratiore cognitione nemo ad vera Dei oracula a fictis fecernenda et probe intelligenda satis aptus et instructus accedit.

THEOLOGIAE NATURALIS PARS PRIMA.

Disquisitiones an et qualis sit Deus.

Conceptus primus de Deo. Ordo tractandorum.

§. 130. *Dei nomine intelligimus omnium, quæ mundum constituunt rerum, mundi adeoque ipsius causam supremam et intelligentem, seu auctorem et rectorem mundi; qua notione Dei, ad captum puerilem et popularem plane accommodata, non solum errori atheistico, pantheistico et polytheistico obviam itur, verum etiam firma religionis naturalis et ethicæ philosophicæ fundamenta sternuntur; quare disquirendum, quibus momentis impulsæ ratio humana statuatur, esse, Deum illo sensu acceptum, et quibus perfectionibus seu attributis cum prædictum esse judicare debeat, vi illorum, quibus fides existentiae divinæ nititur, fundamentorum.*

S E C T I O P R I M A

De exsistentia Dei.

Doctrinæ hujus ambitus.

§. 131. Atque esse mundi hujus auctorem et procuratorem, i. e. ens aliquod summum, a mundo diversum, quod non necessitate suæ naturæ v. g. vi organismi et instinctus sui, uti plantæ et belluæ, sed efficacia suæ intelligentiæ et voluntatis uti artifices, mundi originis et perdurationis rationem continet, rationi sanæ in mundi constitutionem intentæ adeo facili labore illucescit, ut mirum non sit, cur fides exsistentiæ divinæ in genere humano semper tam pervagata fuerit, et pauci essent insipientes minutis conclusiunculis permoti, qui eam negarent, aut incertam esse dicerent, Athei propterea dogmatici vel sceptici dicti. Quare fundamenta primum Theismi, deinde vero Atheismi in severum examen advocanda, illa vindicanda, hæc refellenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Theismi Vindiciæ.

Quæ esse debeat validi exsistentiæ divinæ argumenti indoles?

§. 132. Necessarium est, ut existentiam Dei probemus, tum ideo, quia digito monstrari nequit, tum propterea, quia reapse negata et in dubium advocata est, tum etiam hanc ob causam, ut constet inconcussis minimeque

vanis fundamentis fidem existentiae divinae niti, quam nonnulli propter argumentorum vitia abjecerunt.

Existentiam vero alicujus entis, quod sensibus percipi, adeoque digito aliis monstrari nequit, non nisi ex aliis rebus, quarum existentia plane indubia est, concludere licet, et quidem hoc tantummodo, ut certum nobis antea effectum sit, has res reapse esse, et sine illo mere intelligibili ente existere nequaquam posse, quod ex earum rerum natura tamquam irrefragabili argumento colligendum est; et hæc quidem sola via est, qua ad immobilem existentiam Dei persuasionem tendere debemus; omnia ergo alia argumenta ficulnea et inepta esse oppido consequitur.

§. 133. At quænam sunt ejusmodi res, quarum existentia et qualitas existentiam Dei irrefragabiliter arguat? Quidam ordinem naturæ seu physicum (argumentum physico-theologicum), quidam ordinem moralem seu vivendi modum per legem morum rationi insitam definitum (argumentum morale, seu ethico-theologicum), alii universam hoc, in quo omnia cum propriis finibus, ultimo vero cum bono et fine entium moralium conspirant, contendunt existentiam Dei invictè arguere. Cum ordo naturæ seu opera et instituta naturæ in nostro globo terraqueo et systemate solari conspicua per se creatorem universi non arguant, cumque lex morum ordinem moralem definiens in dubium advocari possit, nisi existentia Dei jam supponatur, certe facilius quam existentia universi; consequitur duo tantum esse adæquata adeoque valida existentiae Dei argumenta, nimirum cosmotheologicum et ethicotheologicum, siquidem prius pro primario, posterius vero tantum pro secundo renitente Kantio adhibeatur.

I.

Argumentum existentiae Dei cosmotheologicum.

1.)

Hujus argumenti summa.

§. 134. Mundi hujus objectivitas et indoles, in quo nihil est, quod sibi ipsi ad existendum sufficeret, et in quo omnia finium et institutorum more coherant, atque entium moralium bono et fini accommodata sunt, est invictum et objective sufficiens existentiae Dei argumentum.

2.)

Ejus momentorum deductio.

§. 135. Cum enim recte cogitantibus hæc sanctissima lex esse debeat, ut eorum, quæ vere extra mentem existunt, nec mentis facultatum, nimirum sensus et intellectus earumque legum, aut mentis cujusdam efficaciae quam ejus conscientia et arbitrium non attingat, merus subjectivus fœtus esse possunt, quæque tam aperte sibi ipsis ad existendum non sufficiunt, causam aliquam independentem, eorum vero, quæ scoporum et institutorum, seu finium et mediorum ratione consentiunt, causam intelligentem cogitemus: quo quæso piaculo committi possit, ut hoc immensum mundi theatrum, hunc in rebus maximis et minimis ordinem constantem, tot plantarum et animalium genera, quibus globus terraqueus scatet, quorumque nullum est, quod artem humanam non longe superet, et sapientissimum quemque in admirationem rapiat; porro hoc genus humanum, in cujus historiae et naturæ contemplatione necessario obstupeſcimus, deinde in-

innumerabiles omnium rerum vires multis modis sibi adversantes, et apte tamen semper consistentes et conspirantes; denique illam innumerabilem globorum cœlestium, qui variis systematum ordinibus hunc mundum constituunt, atque ad salutem naturarum sentientium, et moralitatem intelligentium comparati sunt, multitudines et ratos ac congruos motus ac ordines sine auctore et rectore esse censeamus?

3.)

Et vindicia contra Kantii reprehensiones argumenti physicotheologici.

§. 136. Kantius, quo nemo adhuc efficacius illud argumentum physicotheologicum adornare valuit, tamen rationem theoreticam modulum suæ potentiæ excedere contendit, cum ex similitudine operum et institutorum naturæ cum operibus et institutis artis et solertiæ humanæ, illa etiam ceu consilia et instituta entis intelligentis a mundo diversi existere arguit, cum constet etiam naturam cognitionis et consilii expertem, uti in plantis et animantibus, consilii et intelligentiæ æmula ratione agere; præterea ex ea, quæ in nostro globo terraqueo et systemate solari conspicua est rerum, velut finium et mediorum congruentia, tantum suprahumanum aliquem non vero infinitum intellectum, aut certe tantum mundi fabricatorem, non vero Creatorem inferre fas esse concludit. Sed Kantius, si in decretis suis theoreticis sibi constare velit, non propter hæc argumenti physicotheologici vitia, quæ in cosmotheologicum nostrum plane non cadunt, verum propterea omnem illius ab existentia et constitutione mundi aspectabilis ducti argumenti vim negare debet, quia mundum phænomenon

merum mentis humanæ ejusque facultatum fœtum, adeoque aliquid mere subjectivum, mundum vero intelligibilem = x et plane incognitum, neque ullo modo eruendum esse statuit, adeoque illud Paulinum: invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt &c., repudiat.

II.

Argumentum morale seu ethicotheologicum.

I.)

Argumenti hujus summa.

§. 137. Ratio practica seu moralis, quæ naturis liberis vitam salute dignam imperat, quin ipsa nexum inter virtutem et prosperitatem conciliare possit, est invicta confirmatio argumenti cosmotheologici existentie auctoris et rectoris hujus mundi seu Dei.

2.)

Ejus nervi probandi deductio,

§. 138. Inest in mente quavis lex moralis, i. e. dictamen rationis, quænam (mores et actiones) sint per libertatem actuanda determinantis, et simpliciter vel in adjunctione imperantis, ut nimirum vitæ modum (mores et actionum genera) qui universalis agendi norma in regno entium libertate præditorum esse possit, sequamur. Inest præterea cuivis menti finitæ cupiditas potiundi prosperitate perdurabili; ratio humana nexum inter virtutem, i. e. voluntatem liberam legi illi morali perfecte conformatam, et inter prosperitatem vitæ, i. e. harmoniam naturæ cum omnibus rationabilibus studiis et votis probi animi necessario cogitat et postulat, sed ipsa illum

ne.

nexum conciliare, adeoque summum bonum actuare non valet. Cum vero nexum hunc cogitare, et, ut vitæ probitate nos prosperitate dignos reddamus, postulare desistere nullo modo possit, nisi sibi ipsa nomen inane, ejusque dictamen mera illusio videri velit; necessario concipit fidem existentiae entis, nexum illum inter probitatem animi et prosperitatem vitæ conciliare valentis, i. e. entis omniscii et omnipræsentis, ut intimos animi recessus sibi perspectos habeat, et sanctissimi ac omnipotentis, ut probitatem supra omnia æstimet et promoveat, et inter virtutem probatam, et prosperitatem ei respondentem nexum conciliare possit, adeoque persuasionem firmissimam auctoris, et rectoris mundi necessario concipit, i. e. Deum esse credit.

3.)

Et dijudicatio ejus valoris.

§. 139. Quamquam ab hoc morali argumento, quædam vitia removimus, quæ Kantius ei ex suis propriis theoreticis et practicis hypothesibus aspersit, tamen facile perspicitur, illud per se plane infirmum esse, nisi jam existentia auctoris et rectoris universi certa rataque sit. Nam cum ipsa illa moralis lex, ut vera sit et efficax, existentiam Dei et immortalitatem animæ, tamquam suam rationem essendi supponat, ut eam deinde regrediendo arguere possit; intelligitur argumentum morale esse tantum secundarium et indirectum, illud cosmotheologicum vero primum et ostensivum.

ARTICULUS ALTER.

Atheismi Refutatio.

Atheismi genera et causæ.

§. 140. Qui serio Deum esse negant, quod mundi constitutionem et cursum vi causalitatis mechanicæ explicari posse putant, Athei sunt dogmatici; qui plane incertum esse statuunt, an sit Deus, quod nullo, quo ratio acquiscere possit, argumento ejus existentiam comprobare posse opinentur, Athei dicuntur sceptici; qui propterea existentiam vel certitudinem Dei tollunt, ut sibi aliisque virtutem, et vitam futuram voces inanes et superstitiosas esse persuadeant, proprie libertini sunt. Causæ atheismi præter illam latissime patentem nimirum sceleratam vivendi rationem, quæ Deum et vitam futuram horret, hæ præcipue sunt: primo contemplatio malorum horrendorum, quibus superstitiones genus humanum affligerunt, deinde ingenia quædam scientiarum mathematicarum et naturalium confidentia inflata, quæ propterea vel non nisi intuitivas et apodicticas veritates assensu dignas, vel ex actuosis materiæ staminibus originem rerum et mundi concipi posse autumant, denique rerum in mundo immensitatis et nexus admiratio, propter quam quidam immoderatis speculationibus ducti omnia unum esse statuerunt.

I.

Refelluntur momenta Atheismi dogmatici.

§. 141. Quidquid veteres et recentiores Athei dogmatici contra existentiam Dei protulerunt, detractis ambagibus et speciosis involucris ad tria momenta redit,

ex quo perspicitur, Atheismum dogmaticum locos suos jam exhaustisse.

Momentum primum.

§. 142. Ratio humana necessitate naturæ suæ causam et rationem aliquam varietatis et ordinis in rebus conspici requirit, sed eadem necessitate etiam causam captui nostro accommodatam præferre debet causæ cuivis incomprehensibili; jam vero natura æterna se ipsam fingens et conservans est causa captui nostro multo magis accommodata, quam ens aliquod extra- et supra-mundanum, quod ex nihilo hæc omnia, quæ admiramur procreasset. *Resp.* Natura illa formativa, quam Athei dogmatici menti creatrici substituunt, quam pro cornu copiarum rerum varietatis, descriptionis et congruentiæ habent, et ex cujus efficacia mundi effectiorem ita perspiciunt, uti nos ex artificum ingenio et solertia effectiorem variorum operum intelligimus, quid est?

Vel 1. Natura dædala Lucretii, aut infinitas naturæ Anaximandri, i. e. totum materiale infinitum, in cujus sinu res aliæ ex aliis ejusdem generis infinita regressione et progressionem gignantur. *Resp.* Ejusmodi naturæ infinitas repugnat illi principio rationis, vi cujus hæc in rebus dependentibus et causis subordinatis, causam primam et independentem requirit, neque ullo modo in regressu effectuum in infinitum, tamquam in ratione eorum, quæ nunc esse videt, sufficiente acquiescere potest.

Vel 2. Materia æterna omnis vitæ, sensus, intelligentiæ et ordinis expers, et solis motus legibus adstricta, ex cujus cæcis motibus tandem omnis illa ordinatissima quam admiramur corporum cælestium, præterea mineralium, plantarum, animalium et naturarum intelligentiam

tium varietas et stabilitas prognata sit. *Resp.* Ejusmodi partium et totius origo repugnat illi rationis principio, vi cuius illa solertes dispositiones in rebus, earumque congruas conjunctiones, deinde mentes omniumque ordinem non nisi a causa intelligente et consulto agente repetere potest.

Vel 3. Ex mente Spinozæ ipsum hoc Universum, tamquam una individua substantia, quæ sit subiectum infinitæ extensionis et cogitationis, tamquam suorum attributorum, et infinitarum illius infinitæ extensionis et cogitationis modificationum, tamquam eorum, quæ in mundo naturas particulares, nempe corpora, animalia et mentes dicimus. *Resp.* Hæc cogitatio repugnat illi rationis principio, vi cuius nullum verum subiectum constare potest partibus extra se positis, præterea etiam illi, vi cuius nullum subiectum extensum simul et cogitans esse potest, cum cogitare absolutam sui subiecti unitatem requirat, extensio vero tamquam aggregatum eam excludat.

Momentum secundum.

§. 143. Ortus mundi ex infinitis, in infinito spatio, per infinitum tempus agitatis atomis, quæ primum in varia portenta mox dissipanda coalescerent, tandem vero in naturas firmas et regulares congruerent et stabili lege propagarentur, non est absolute impossibilis; cum præterea animalcula artificiosissime constructa ex corporum putrefactione, cum vegetationes chymicas et crystallos aliaque mirabilia solius materiæ vi enasci videmus; ortus rerum et mundi ex cæca materiæ machinatione multo probabilior hypothesis rationi videri debet, quam ejus effectio ab aliquo ente, quod nulla immediata actione se nobis manifestat.

Resp.

Resp. 1mo. Casus et fortuna, a quibus tamquam architectis, et atomi, ex quibus tamquam materiis, Epicurus mundum hunc constructum esse dicit, sunt chimerae, quare hæc derivatio originis rerum et mundi absurda est; at mens infinita, cujus voluntate et actione omnia ex nihilo, i. e. sine materia præexistente esse ceperint, tantum aliquid incomprehensibile est. Atomos vi propria existendi impotes, ab æterno tamen sine causa existisse, deinde a directione perpendiculari, qua naturæ suæ vi moverentur, casu declinasse, atque natis motibus vorticosis orbes cœlestes formatos esse, cum lucentes tum opacos, in his vero mineralia, plantas et animantes, post infinita fortuita conanima tandem aliquando existisse, perseverare et propagari, dicit Epicurus. Quod in proverbio est: *Gallina Aeneidem*, an absurdum dicere is possit, qui Epicuri Cosmogoniam absolute possibilem esse dicat!

Resp. 2do. Casu itaque, quo nomine reapse defectus omnis causæ tegitur, et fortuna, i. e. innumerabilibus materiarum vitæ et sensus expertium concursationibus et conflictibus nulla moderante causa intelligente tandem effectum est, ut mundus hic globis lucentibus et opacis constet, hique intervallis et motibus constitutioni et conservationi suæ accomodatis contineantur, ut tellus nostra hac tam apta figura, structura motibusque prædita inorganicis massis et organicis naturis constet, hæque tam apta indole et proportionem conspirent, atque stabilibus legibus nascantur et intereant, insanum quis non diceret, eum, qui tali machinatione picturam, ædificium aut telescopium aliquod existere posse, contenderet.

Resp. 3tio. Homines et animalia plantasque, quarum formas et proportionem intelligentiæ et consilii documen-

mentis plenas ipsarum, quæ mundo insunt virium, ut ignis, caloris, aëris, aquæ aliorumque hujusmodi principiorum, quæ jam mediorem numero sunt, quæque pro intelligentiæ operibus habere cogimur, mechanicis et chemicis actionibus e luto et putredine exstitisse, naturali cogitandi rationi plane adversum est. Certe ab animalculis, quæ infusoria dicunt, quæque non sponte, i. e. sine semine nasci constat, ad homines, animalia et plantas consequentia nullatenus valet; atque si etiam daremus, quod tamen nulla probabili ratione postulant, hoc tamen non impetrabunt, ut in his initiis et staminibus tamquam causa simpliciter ultima subsistamus, quin primitivarum harum virium et staminum constitutionis et tendentiæ ad efficienda tam admiranda opera causam requiramus; et cum vires illæ materiales entium, ad quarum bonum et finem cetera apta sunt, et reapse conspirant, effectrices esse nequeant, infinitam mentem omnium causam agnoscamus.

Momentum tertium.

§. 144. Primas de Diis quibusdam (Gotttheit) opiniones imbecillæ et rudes hominum mentes conceperunt, ardua cælo fulmina cum cadere aliaque terribilia phænomena evenire cernerent; hæc figmenta deinde aucta exornataque sunt hominum quorundam, quorum consiliis proderant fraude, atque ita fœdissimas illas religiones exstiterunt, publicæ privatæque saluti inimicæ; cum præterea mundo tot mali moralis et physici genera, tot classes et fortunæ cæcæ documenta insunt, is casus potius et fortunæ, quam intelligentiæ et sapientiæ opus videri debet.

Resp. ad 1mum. Quamquam negari nequit, silvestres homines cum terribilia naturæ phænomena perciperent
ideas

ideas de potentiis quibusdam suprahumanis concepisse iisque personalitatem affinxisse, unde Mythologia originem suam habet; nemo tamen affirmare potest, hunc unicum fuisse persuasionum et sensationum religiosarum in genere humano fontem; philosophis certe non terribilia naturæ phænomena, quorum causas noverant, verum admirabilis illa mundi constitutio, et opus illud legis cordibus inscriptum, i. e. illa nativa rationis practicæ Nomothesis, auctoris et rectoris mundi argumentum præbuit.

Resp. ad 2dum. Nequit [sine religione, quæ in persuasionem et fide rectoris mundi posita est, virtus et tranquillitas animi esse; qui mundum suamque in terra sortem pro cæcæ casualitatis aut fatalitatis effectum haberet, nec virtuti sæpe ærumnosæ deditus, nec animi tranquillitatis compos esse posset; infanda illa scelera et calamitates, quas nonnulli religioni imputant, aut superstitio et fanatismus, aut ambitio, avaritia et dominandi libido peperit, quas omnes vera religio abominatur et dominatur.

Resp. ad 3tium. Mala, quibus genus humanum obnoxium est, si in conjunctione cum suis rationibus, sequellis, atque vero etiam medellis considerentur, cogunt confiteri, omnia infinitæ mentis numine constituta esse et administrari. Ratio cernens, virtutem cultores suos jam in hac vita tranquillos et impavidos efficere, scelus vero auctores suos anxios et pusillimos reddere, regimen divinum agnoscit; animadvertens vero inter virtutem et prosperitatem, atque inter vitium et calamitatem inversam sæpe proportionem esse, regimen illud divinum ultra terrestris vitæ terminos extendi colligit.

II.

Refelluntur Momenta Atheismi Sceptici.

§. 145. Qui an et qualis sit Deus plane incertum et ignotum esse ponunt, Atheistæ Sceptici, et Sceptici theologici esse dicuntur, quorum sententia, quamvis ab atheismo dogmatico distet, non minus tamen principis rationis adversa et moralitati inimica est; qui enim pietatis, reverentiæ, amoris, obedientiæ et fiduciæ sensus ejus animo inesse possunt, qui in mente sua statuit existentiam et voluntatem Dei esse rem incertissimam ac ab intellectu humano nullatenus attingendam, et deficientibus illis religionis sensibus, quæ potest esse officiorum erga se et alios efficacia et observantia? Quare etiam hujus perniciosæ sententiæ fundamenta excutienda sunt, ut eorum falsitas et inanitas perspiciatur. Humius pro hac sententia ita pugnavit, ut ad eum recte accommodari possit illud: si Pergama dextra defendi posset, certe hac defensa fuisset, ut adeoque unus Humius omnium Atheistarum Scepticorum loco esse possit.

I.)

Argumenta, quibus Humius Scepticismum theologicum tuetur, recensentur.

§. 146. Imprimis Humius incomprehensibilitatem naturæ Divinæ nostramque tamquam entium moralium finitorum constitutionem obtendit, hisque necessario effici statuit, ut vera Dei natura omni nostro captu superior, omnisque nostra de eo cognitio ab ea valde abluens et falsa sit; quare omne judicium cohibendum esse contendit, ne in anthropomorphismum prolabamur, quo

sublimis et purissima divina natura ad humanitatis imperitatem deprimatur.

§. 147. Deinde cum mundus sit ens unicum sui generis, adeoque a partium et eventuum suorum indole valde abluens, argumentationem illam, mundum causam habere debere, cum omnia in eo causam habere debeant, manifeste falsam esse, atque cum major sit mundi cum naturæ opere v. g. animali, quam cum artificio, quod intellectum requirit, similitudo, mundum potius generatione, quam creatione affectum videri debere contendit.

II.)

Eorum falsitas et inanitas ostenditur.

§. 148. Cum ex argumentis duobus uno primario, altero secundo principiisque causæ ultimæ et intelligentis, quæ nervum probandi primarii, nimirum nostri cosmotheologici argumenti absolvunt, omni reprehensione et dubio superioribus irrefragabiliter consequatur; existere moralem mundi auctorem, ejus existentia propterea incerta videri et dici nequit, quamquam intellectus noster finitus absolutam et intimam Dei essentiam cognoscere, i. e. eam introspicere, dimetiri, complecti, talemque, quæ absolutam Dei essentiam plane adæquet et exhauriat, notitiam habere, hocque sensu Deum comprehendere non valeat. At non modo de infinita verum etiam de finita quacunque substantia et mente, et se ipsa plena, quæque internam ejus indolem proxime attingat et amplectatur, cognitione mens humana potiri nequit, attamen de propria aliarumque extra ipsam positarum rerum existentia dubitationem plane sustinere nequit; quare perperam concluditur, Deum nobis plane ignotum esse et veritatum divi-

narum ex principiis finitæ rationis nullam dari certitudinem. Cognitio immediata absolutæ Dei essentiæ necessaria homini non est, modo necessarias quasdam ejus ad mundum relationes exploratas habeamus, quarum relationum est cum absoluta Dei essentiâ conjunctio. Infinitas et incomprehensibilitas naturæ divinæ, et nostra, quam de Deo habemus, cognitio imperfectæ efficere nequeunt, ut eam prorsus deceptricem, omni objecto vacuam et plane inutilem esse existimemus, et quoniam præstantia quadamtenus percepta minus tamen perspecta admirationem parit, Deus perpetuæ admirationis nostræ dignissimum objectum est.

§. 149. Nostra de existentia Dei convictio hac argumentatione nititur: mundus hic est totum instar corporis organici, constat per partes suas, quarum singulæ vim et æternitatem suam totius constitutioni debent; quare hoc absolutum totum ens aliquod requirit et arguit, cujus vi existat et perduret, i. e. causam absolutam, cumque in eo singula singulorum, omnia vero entium intelligentium bono inserviant, his vero per eorum rationi insitam legislationem vita beatitate digna proposita sit, causa illa absoluta ea cum mundo hac ratione, qua artifex cum artificio suo conjuncta, atque adeo intellectu et voluntate perfectissima prædita natura esse, menti humanæ similis quidem, attamen ea infinite superior censenda est. Hoc existentia et perfectionum Dei cognoscendarum argumentum plane irrefragabile est, omnemque a nostra Dei cognitione non quidem defectum sed tamen errorem arcet, quia ab objecto suo et limites et vitia humanæ naturæ excludit, quod Ens cum mera mens, et mundus hic merum intellectus opus sit, non generatione, verum tantum creatione hujus causa efficiens esse potest.

SECTIO ALTERA

De attributis Dei.

Materia et ordo sequentium

§. 150. Cum certum sit, dari causam hujus mundi ab ipso, ejusque entibus et viribus diversam, jam quibus attributis seu proprietatibus ac perfectionibus prædita sit, investigandum est, cum nihil sine omni proprietate esse, et ab intellectu nostro concipi possit; quare primo an et qualis universe, deinde qualis et quanta speciatim de Deo ejusque proprietatibus cognitio in intellectum humanum in hac vita cadat, disquirere debemus, ut eam satis tutam contra scepticos theologicos, et satis efficacem ad vitam ex morum lege instituendam reddamus.

ARTICULUS PRIOR

De nostra attributorum Dei cognitione universe.

I.

Ratio humana nec adroganter nec temere quærit, quibus proprietatibus præditus sit Deus, modo in hac investigatione provide versetur.

§. 151. Sceptici theologici contendunt rationem humanam adroganter et temere quærere ac scrutari quis, i. e. quibus proprietatibus præditus sit Deus, quod nobis de eo nihil præterquam, quod causa mundi suprema sit,
con-

constare possit, hæcque cognitio ad omnes rationis fines consequendos sufficiat.

§. 152. At rerum illarum, quarum existentia et constitutio indubitata existentiam causæ mundi ab ipso mundo ejusque viribus diversæ irrefragabiliter arguit, etiam aliquas ejus causæ proprietates arguere debet, cum constitutio effectus etiam causæ suæ constitutionem necessario innuat. Deinde, quæ posset esse adversum Deum, cujus natura et præstantia penitus ignota foret, vera pietas reverentiæ, amoris, obedientiæ et fiduciæ maxime sensibus se exferens? Si penitus lateret, quis sit Deus, quid per mundi effectum consequi velit, mundus et genus humanum grave et intolerabile ænigma foret rationi humanæ, cujus cum Physicæ tum Ethicæ causa interest eruere, quis sit Deus, ut suæ cognitioni *ordinis naturalis* unitatem, *ordinis moralis* vero, i. e. recte vivendi rationis vitam et efficacitem conciliare possit.

§. 153. Quamquam vero certum est, rationem humanam argumentando et scrutando nonnullas, quibus absoluta omnium causa prædita est, proprietates eruere et constituere posse, in hac tamen perscrutatione cautionem et modum adhibendum esse facile intelligitur, ne nos *aut* Deum ejusque aliquas proprietates ita cognoscere posse, uti quarundam sub sensus cadentium rerum proprietates compertas habemus, *aut* Dei naturam uti in se et sine omni earum ad mundum hunc et ad entia moralia respectu est, scrutando perspicere, *aut* denique de Deo aut de quacunque ejus perfectione, quam ratio nostra scrutando attingere possit, omnimode accommodata eamque exacte adæquante notione potiri posse putemus, atque ita reliquam de Deo ejusque proprietatibus bene fundatam cognitionem in discrimen constituamus.

Quæ sit universe nostræ de Deo ejusque proprietatibus cognitionis vera indoles ostenditur.

§. 154. Mundus hic non tamquam farrago corporum totalium, quæ nihil sint, nisi rudes indigestæque corporum partialium congeries, verum tamquam systema absolutum, in quo omnia corpora totalia et partialia, tamquam entium intelligentium domicilia nexu causali et finali devincta, ad eorum finem nimirum moralem bonitatem et felicitatem conspirant, adeoque ordo physicus et moralis non seorsim verum in sua subordinatione magnum illud existentiae et perfectionum divinarum rationi humanæ argumentum præbent.

§. 155. Hoc principium cum materiam tum fontem omnis nostræ naturalis de Deo ejusque proprietatibus cognitionis indicat, et terminate innuit, omnem nostram de Deo ejusque proprietatibus cognitionem relativam, analogicam et symbolicam esse evincit, quia non absolutam Dei essentiam perspectam habemus, verum tantum eum illo, quo nos ope intellectus et voluntatis causæ, et auctores variorum operum existimus, modo tamquam causam intelligentem et liberam omnium physicorum et moralium entium, eorumque systematicæ universitatis cogitamus.

§. 156. Qui hanc ob causam nostram de Deo cognitionem omnis pretii, i. e. veritatis et efficacitatis expertem esse contenderet, omnem nostram cum psychologicam tum somatologicam cognitionem deceptricem et inutilem esse, affirmare deberet, quia neutra absolutam
ob-

objecti sui essentiam attingit et aperit. Cum modo hominibus tamquam entibus intellectu et libera voluntate præditis analogo Deum pro Auctore et Rectore mundi habemus, eum propterea non in hominum classem compingimus; nam identitas relationis essentialem relatorum diversitatem non excludit, cumque Deum pro ente intelligente et morali habemus nostram personalitatem non pro ejus protypo, sed tantum pro ejus symbolo habemus.

§. 157. Quod nostra de Deo cognitio humanitatem redoleat, i. e. ad analogiam mentis humanæ concepta sit, nemo reprehendet, quia propterea menti infinitæ nec defectus nec vitia mentis humanæ adjunguntur; mens divina non gradualiter verum essentialiter differt ab humana, nisi quis temere contendere velit, intelligentiam et voluntatem ab humana essentialiter diversam non tantum incomprehensibilem verum plane impossibilem esse.

ARTICULUS POSTERIOR

De nostra attributorum Dei cognitione speciatim.

§. 158. Causalem itaque Universi hujus Causam ejus constitutio, secundum principia nostræ Cosmologiæ concepta, rationi nostræ annunciat (Theognosia), et an cum ejus præstantia mala illa, quibus genus humanum obnoxium est, consistere possunt (Theodicea)?

I.

Magnitudo virium et harmonia rerum, quas mens humana in mundo attonita cernit, causam ejus omnipotentem et unicam esse invicte arguunt.

§. 159. Si earum, quibus globus terraqueus scatet rerum vires stupendas, si animi humani potentiam incredibilem consideremus, qua scientias et artes harumque admirabilia opera invenit et perfecit, si deinde cælum stelliferum contemplemur, atque ab iis, quas compertas habeamus corporum terrestrium et mentium humanarum viribus ad eas, quæ cæteris corporibus cœlestibus eorumque intelligentibus incolis conveniunt argumentando ascendamus; auctorem mundi summe potentem esse colligimus, cum ejus vi nullo intellectus nostri conceptu dimetienda rerum illarum, quarum maxima pars nos latet universitas existit; quidni enim quæcunque, quæ saluti aut exitio nobis esse possint is facere possit, cui omnes naturæ vires subsunt? Mens humana cogitans potentiam divinam esse iis, quas mundo contulit, quasque ipsa nullo conceptu dimetiri valet, viribus infinite superiorem, maximam attonita concipit admirationem, cui adjuncta est veneratio non servilis trepidatio, quia cogitatio illius potentiæ in nobis est plena suavitatis et fiduciæ.

§. 160. Corporum mundi totalium is est nexus et consensus, ut intellectus humanus omnia unius potius conditoris et rectoris quam plurium esse colligere debeat; omnia in mundo a se invicem dependent, omnia sibi invicem proxime vel remote apta et accommodata sunt, ita ut totum per partes, partes vero singulæ per totum existant;

stant; quare qui unum condidit, reliqua omnia etiam condidisse judicandus est; qui corpus humanum condidit, is etiam animum humanum, elementa, alimenta, lucem, adeoque omnes stellas condidit, cum hæc omnia tam apte concinnant. Præterea sufficiens omnibus rationis finibus et indigentis et simplicior est hæc cogitatio, quæ unicam omnium causam supremam statuit, et magis etiam determinata, cum pluribus Diis admissis, nullus eorum numerus cærus ulla ratione idonea constitui posset. Humanæ rationi adeo conveniens est, ut quod absolute summum sit, non nisi unum esse existimet, ut etiam in ipsa gentilium Mythologia unus tantummodo Deorum supremus censeretur soleat. Manichæismus ex ignorantia veræ malorum originis et indolis promanavit.

II.

Mundi Hominisque constitutio ordinis et consilii plena, atque bonitatis et salutis moralis faulrix, contrarii vero adversaria causam mundi summe sapientem, benevolam et sanctam arguunt.

§. 161. In eo mundi globo, quem ipsi incolimus, incredibilis est cum entium, tum earum, quæ iis accidunt mutationum varietas, innumeræ sunt mineralium, herbarum, fruticum, arborum et animalium formæ; nec minus variæ sunt vitæ, motus nutritionis et propagationis species. Atque in tanta hac varietate ex historia naturæ nota mira obtinet uniformitas, plena harmonia, ordo summus et optima finium et mediorum constitutio; uniformitatem ostendit continua rerum series, omnia reg-

na, classes, ordines &c., fluctuantibus quodammodo terminis non tam separantur, quam cohærent, nullibi saltus, nullibi hiatus, ubique continuitas cernitur; eandem continuitatem cernimus in successione mutationum, in vicissitudine dierum et noctium ac tempestatum anniverfariarum. Deinde rerum in mundo harmonia tanta est, tamque late patens, ut omnem ingenii nostri captum longe excedat; hanc testatur virium contra se invicem agentium æquilibrium, et quæ hoc modo efficitur totius conservatio, plantarum cum loco natali, aërisque temperie convenientia, animantium cum elemento, in quo degunt, suæque conservationis præfidiis consensus, humanæ denique naturæ ad omnes plagas accommodatio. Ordinem mundi demonstrant certæ stabilesque leges, quas non solum corpora cœlestia, sed etiam terrestria sive solida sive fluida motibus suis exsequuntur. Rerum denique naturalium usus adeo sunt obvii et expositi, ut quodammodo in sensus ipsos incurrant. Cum ita mira sit omnium rerum in mundo Varietas, consensus, ordo et optima mediorum et finium constitutio, et conjunctio nulla contemplationis contentione et continuatione exhaustiunda, summam esse ejus causæ intelligentiam et sapientiam consequitur.

§. 162. Cum omnia, quæ in mundo existunt vel sint objecta, vel organa, vel subjecta perfectionis et salutis (Wohlsheyns), eumque omnia hæc non ad auctoris sed ad creaturarum viventium perfectionem et salutem conferant, intelligitur Deum esse benignissimum; et speciatim quidem plurimum boni hominibus a Deo tributum esse facile is colligit, qui perpendit omnia entium intelligentium bono inservire, quique se, vires, facultatesque suas animæ et corporis, atque innumeras vitæ com-

commoditates considerat. Nulla est enim corporis facultas, quæ non variarum voluptatum causa esse possit, nulla vitæ ætas et conditio, cui non quædam propria salutis species concessa esset; et quamquam nemo omnibus perfectionibus et bonis cumulari possit, voluptatum tamen certarum defectus per se molestus non est, et per alia commoda et dolorum vacuitatem compensatur. Quare Auctor naturæ ad perfectionem et salutem viventium, adeo idoneæ infinite bonus, et quia effecit, ut nemo probus infelix, et nemo malus felix vere esse possit, etiam summe sanctus est. Cui bonitati et sanctitati non obstant mala, quibus genus humanum obnoxium est, quorum consideratio etiam proborum dubia et querellas commovet.

§. 163. De malis physicis querella eo revocanda est, ut quæratur et constituatur, an ea non sint conjuncta, cum eadem naturæ œconomia, cum iisdem naturæ legibus et rerum proprietatibus, quæ sunt ad conservationem et salutem necessariæ et utiles, adeoque sapientiæ et benevolentiae divinæ indices. Conservari entia viventia non possent, nisi ea, quæ corporis fabricam læderent, acri doloris sensu declinare et repellere monerentur; et si homines omnia ad vitam salutemque necessaria, sine labore sibi comparare possent, genus humanum omnibus artibus et scientiis careret, quarum cultus, et usus plurimas et suavissimas adjunctes habet oblectationes, et plurima commoda procurat; quare laboris molestiæ, qui tot bonorum fons et conditio est, et miseriæ, quæ ejusmodi laboris fugam consequuntur, admodum illustrata sunt divinæ sapientiæ et bonitatis documenta. Mala physica, quibus genus humanum obnoxium est, in hominibus partim bonorum sensum acuunt, partim ingenium et industriam

stiriam excitant, partim imprudentiam et vitia cohibent, adeoque argumentum sunt, Deum genus humanum curare et educare.

§. 164. De malis moralibus tota querella eo reducenda est, ut quæratur et constituatur, an Deus satis ea mala impedire judicandus sit? Qua in re id facile intelligitur, a Deo homines omnibus iis instructos esse, quæ ad impedienda peccata, et ad eorum animos sensim nobili et invidio recti sensu et consilio imbuendos necessaria sunt. Quid enim primo amplius a Deo requiri potest, quam ut ita hominem crearet, ut is sibi a peccato cavere possit si velit; et profecto hoc a Deo postulari nequit, ut perpetuis miraculis et per vim nascens peccatum impediatur, atque homini libertatem auferatur, sine qua moralitas consistere nequit. Deinde nihil homini ad virtutis culturam, et ad vitii fugam deesse ipsa ratio, libertas, lex moralis, conscientia, morum excellentia, vel turpitudine, denique vitæ probæ et scelestæ fata satis ostendunt, quæ omnia sunt luculenta divinæ sanctitatis, et justitiæ indicia. Quod si fata hominum non habent debitam ad ipsorum probitatem, et vitiositatem proportionem, id non defectum sanctitatis et justitiæ divinæ, verum necessitatem vitæ futuræ ostendit.

THEOLOGIAE NATURALIS

PARS ALTERA.

Disquisitiones. qua ratione Deus hunc mundum condidisse eique providere censendus sit.

Materia et ordo hujus Theologiæ naturalis Partis.

§. 165. Existentiâ et proprietatibus Dei ex mundi hujus constitutione cognitis, jam de operibus Dei dicendum, i. e. declarandum et explicandum est, qua ratione Deus mundum hunc condidisse, eique perduranti providere censendus sit. Inde elucet, quæ sit entium moralium relatio ad Deum, cujus cognitionis utique maxima vis est in eorum sentiendi et agendi rationem.

SECTIO PRIMA

Quo modo et quo consilio Deus mundum hunc condiderit?

Quæstionis gravitas.

§. 166. Deum esse mundi hujus causam inter omnes Theistas convenit; sed qua ratione et ad quem primum finem eum effecerit, valde diversæ sæpe eorum sententiæ fuerunt, qua in re cavendum est, ne vera et salutaris, quæ hætenus evicta est, de Deo cognitio de novo in discrimen constituatur. Deus ita est causa hujus

mun-

mundi, ut sit verus ejus Auctor et quidem creator, qui mundum hunc summi extra se boni efficiendi causa ex nihilo procreaverit.

ARTICULUS PRIMUS.

Deus est verus hujus mundi creator.

I.

Cosmogeniarum theisticarum recensio.

§. 167. Cum Deus mundi causa sit, is certe *vel* mundi hujus proprius fons est, ut mundus, i. e. entia mundana vel crassiore vel subtiliore quadam ratione ex eo emanaverint, quæ sententia *systema emanationis* dicitur, *vel* Deus merus hujus mundi Architectus est, ita ut eum ex materia quadam omnis formæ experte tantum potentia sua fabricatus sit, quæ sententia *systema materiæ æternæ* appellatur, *vel* denique Deus verus hujus mundi creator est, ita ut tamquam purissima mens non tantum formæ mundi, sed etiam ejus materiæ effector sit, ut adeoque sine omni alia cum efficiente tum materiali causa mundum ex mere possibili in actualement converterit, quæ sententia *systema creationis ex nihilo* vocatur.

II.

Mundi creationis ex nihilo vindiciæ,

§. 168. Cum sententia de creatione mundi ex nihilo *tam formæ mundi hujus*, qui ordinis, consilii et successionis plenus, adeoque intelligentiæ opus est, et initii signa gerit, *quam etiam ejus materiæ* (substantiarum munda-

danarum) *indoli*, quæ suapte natura non existit, adeo dependens et effecta est, *atque attributis Dei* tamquam *entis mere moralis* maxime consentanea sit; ea non obstante sua incomprehensibilitate, quæ quæstionem de mundi ortu, tamquam intellectus humani limite necessario adficit, systematibus emanationis et materiæ mundi æternæ, quæ utrique illi rationi adversa sunt, præferri debet, cum emanationis fautores divinitati materialitatem, fautores vero materiæ æternæ, quæ si omnis proprietatis expers esse dicitur, chimæra est, materiæ illi Divinitatem affingere coguntur, utrique vero rerum naturalium cum agunt (per effluvia, vel ex materia præexistente) similitudine *pueriliter* fallantur. Sententia de ortu mundi per creationem ex nihilo recte *Cosmogonia biblica* appellatur, quia in bibliis *veteris et novi Testamenti* diserte docetur; ejus vero apud veteres philosophos nullum plane vestigium deprehenditur, quod Mofsheimius contra eos, qui ejusmodi vestigia apud Platonem occurrere putarunt, irrefragabiliter evicit.

III.

Systema mundi æterni speciatim refellitur.

§. 169. Sed quæritur, an mundus hic ab æterno vi diuina existere, vel a Deo creatus videri debeat, cum Aristoteli aliisque propterea hoc visum sit, quod posita causa effectus deficere nequeat, quam sententiam *systema mundi æterni, Deo coæterni* vocant? Sed cum *primo* illud, quod productum esse dicitur, necessario initium existentia habere cogitatur, *deinde* cum mundus hic non causalitate naturæ et essentia, verum causalitate voluntatis divinæ existat, *denique* cum mundus hic necessario causarum series et

sta-

statuum successiones involvat, quæ infinitæ esse nequeunt; mundus hic vi divina ab æterno existere videri nequit, atque adstructa mundi æternitate is non jam opus voluntatis, sed fœtus essentiæ divinæ videri deberet, quæ opinio ab emanatione vel a Pantheismo non distat. Deus itaque, ut omnes cum theisticas tum atheisticas Cosmogonias uno conspectu pervideamus, cum rationem existentia hujus mundi continet, eam vel tamquam aliquod ens physicum causalitate cæca suæ naturæ, quo systemata emanationis et mundi æterni pertinent, vel tamquam ens morale causalitate oculata suæ intelligentiæ et voluntatis continere concipitur, quo systema materiæ cujusdam æternæ, ex qua Deus tamquam merus Artifex, tamquam architectus mundum fabricatus sit, et systema creationis mundi ex nihilo pertinent, cum Deus tam materiæ quam formæ effector esse cogitatur.

ARTICULUS ALTER.

Quo consilio Deus mundum hunc condiderit?

§. 170. Deus tamquam ens intelligens cum rerum universitatem condidit, necessario varios fines sibi propósitos habuit, et tamquam ens summe sapiens necessario omnes speciales et generales fines uni supremo subordinavit.

I.

Finis creationis supremi requisita stabiliuntur, eumque a parte creatoris non esse ostenditur.

§. 171. Finis creationis supremus is esse debet, ad quem omnia in mundo primitus disposita, cui om-

omnia subordinata, et ad quem tamquam ultimum effectum ex lege 'continuitatis' actuandum omnia conferant. Debet itaque finis mundi supremus esse quid absolute bonum, absolutum voluntatis objectum, quod hæc non tamquam aliquid ad aliud bonum expetat.

§. 172. Plerique propterea Deum gloriam suam, i. e. perfectionum suarum, omnipotentiae, sapientiae, bonitatis &c. suae manifestationem in condendo mundo, instar humani artificis, primario spectasse contendunt, cum gloria Dei sit communis et supremus omnium rerum in mundo effectus, atque conditore mundi dignissimus; alii vero Deum felicitatem naturarum sensu et ratione præditarum sibi primario propositam habuisse affirmant, idque ex gratuita ejus benignitate colligunt.

§. 173. Et sane si finem id dicimus, cujus desiderio ad agendum impellimur, Deus quomodo desiderio sui ipsius et perfectionis suae ad creandum moveri potuisset, intelligere non possumus, cum sit sibi ipse sufficientissimus, perfectissimus et sanctissimus; at mundum ad hoc omnino factum esse, ut sit viventium vario jucunditatis genere perfruendum patria et domicilium dubitare non possumus.

II.

Finis conditi mundi est moralis perfectio et salus creaturarum moralium, tamquam summum harum bonum.

§. 174. Deus tamquam ens omnipotens, sibi ipse sufficiens, benignissimum et sanctissimum finem in condendo mundo, qui sphaerarum, naturæ et entium moralium, quæ sunt sphaerarum cælestium incolæ regnis continetur,

tur, absolute optimum habere debuit; sed intellectus humanus nihil nisi virtutem et huic proportionatam beatitatem creaturarum ratione et libertate præditarum pro bono absoluto, quod creatione obtineri possit, adeoque pro fine creatoris et pro scopo creationis habere potest.

§. 175. Et in hoc fine etiam gloria Dei externa, nam interna Deus independentem a creaturis potitur, et imitatio Dei tanquam nativæ, nec vero alias genuinæ partes continentur; nam illæ solum creaturæ, quæ virtuti, cuius ideam ratio in se efformat, et voluntati liberæ exsequendam dicat, student, atque hoc modo felicitate dignas se præstant, cognitione, consilio et opere ostendunt, quod Deum pro tali ente habeant, quale reapse est, adeoque ejus gloriam illustrent atque sapientiam et sanctitatem ejus imitantur. Hoc fine nullus est sublimior, nullus mundi creatori *gloriosior*, nullus creaturis moralibus *lætabilior*.

SECTIO ALTERA.

An Deus Mundo procreato provideat?

Providentiæ divinæ notio hujusque expositio.

§. 176. Peractam Universi hujus creationem divina providentia, i. e. cura perpetua mundi excepit. Qui vero providentiam Dei in mundo agnoscunt, hoc universe statuunt, non casus aut fati cæcitate, aut sola hominum prudentia et potentia, sed divina ordinatione, prævisione, administratione et potentia omnia in mundo et genere humano, hoc admirabili ordine et cursu perdurare, consistere et procedere,

ARTICULUS PRIOR.

De providentia tamquam mundi procuratione generatim.

I.

Primaria providentiæ divinæ munera expendantur.

§. 177. A Deo conditum mundum non sibi soli relinqui, verum divina operatione eum, atque ejus ordinem et cursum perdurare, i. e. providentiam Dei dari, eamque conservatione, gubernatione et concursu tamquam primariis muneribus contineri, quibus argumentis agnoscere debeamus, imprimis disquirendum est.

I.)

Conservatio mundi.

§. 178. Durare dicimus, quod existentiam suam continuat. Qui efficit, ut alterum, interitui et violationi obnoxium, incolume existere pergat, illud conservare dicitur; quare Deus mundum conservat, permanet reapse mundus, quem Deus tamquam entium viventium regnum esse voluit: singulis quidem rebus perpetuæ mutationes accidunt, individua pereunt, genera tamen non delentur, alimenta continenter crescunt, tempestates annuæ statò ordine consequuntur, nec ulla plane infructuosa et sine commodis viventium est; permanent corporum cœlestium stationes et orbitæ, eorumque admirabilis ordo, universa terra animantibus referta est, quæ vitæ jucunditatem persentiscunt. Non detragatur, non senio

confecta elanguescit natura, manet ejus lacertorum labor et usus; quæ hinc inde oriuntur rerum perturbationes nunquam ita invalescunt, ut ordo jam non restituatur, violataque perfectio non refarciatur et compensetur.

Quod si ad hanc rerum earumque ordinis et cursus in mundo perseverentiam non secus ac ad earum ortum vis divinæ efficacia requiritur, qua tamquam continuata creatione eæ esse pergant, Deus omnium omnino est conservator, cum hæc sit omnium contingenter existentium rerum natura, ut nullo suæ existentiae momento vi propria, sed aliena existant, i. e. vi et voluntate sint in nihilum statim abituræ, si vis voluntasque illa subtrahatur. Inde tamen non sequitur, originem mali moralis ita ad Deum referendam, uti origo mentium liberarum ad eum refertur, aut principium mali admittendum esse; nam malum morale proprie in prave agendi consilio, quod solius voluntatis liberæ effectus est, consistit.

II.)

Gubernatio Mundi.

§. 179. Cum mundi conservatione ejus gubernatio maxime illa, quam regimen divinum physicum dicimus, intime conjuncta est. Conservat enim Deus res rerumque ordinem ac cursum, ut fines, propter quos mundum creavit, obtineantur, quare ejus decreto et imperio fit, ut omnia ad illos fines conspirent, in quo posita est *gubernatio*. Confirmatur hæc argumentatio observatione eorum, quæ in mundo et genere humano eveniunt; videmus omnes, quas vires corporeæ in mundo producant, mutationes ad fines saluberrimos tendere, ad conservandum totum et ad innovandam semper rerum faciem, ad conferenda naturis sentientibus et intelligentibus ea omnia,

nia, quæ ad ipsorum vitam requiruntur; eventus terribiles, qui sæpe illis varia ratione mala inferunt, ita tamen temperantur, ut minimum damnum magnis compensetur bonis.

Quod valet etiam de iis, quæ a belluis naturali impulsu peraguntur, et ab hominibus libero consilio geruntur, in his enim, quamvis quisque suam tantum sæpissime utilitatem sectetur, adverseturque aliorum vitæ et commodis, nihilo tamen minus in hac cupiditatum et utilitatum pugna salutem communem servari videmus. Actionibus multorum hominum, qui historia et experientia teste, pravis cupiditatibus incitati, maximas turbas calamitatesque excitarunt, jam dudum devastatum fuisset genus humanum, nisi vis moderatrix continenter præset, quæ efficeret ut improborum molimina aut eorum oppositis consiliis, aut aliis causis cohiberentur; quare divinam naturæ physicæ gubernationem agnoscere debemus?

III.)

Concursus Dei.

§. 180. Ex rationibus, quibus Deum omnia conservare et gubernare perspeximus, elucescit etiam, divinum numen per omnem mundi durationem, omni tempore et loco immediate se exserere, adeoque omnibus rebus immediate præsentem esse, quia in omni rerum, quæ sunt et futuræ sunt, duratione et cursu cuncta Deo sciente, sustinente et ad fines dirigente eveniunt. Ex quo simul intelligitur, nihil eorum, quæ a rebus creatis aguntur, sine Deo vires eas sustinente perfici posse, eum, adeoque rationem aliquam continere, cur ea agant, quod

concursum et influxum dicimus; quare Deus ad omnes entium mundanorum efficientias concurrat.

Hic concursus ipsa rerum omnium conservatione et gubernatione continetur, quibus efficitur, ut vires esse pergant, et ad finem mundi aliquid conferant, cum certe nunquam evertant; quare non omnium, quæ causæ creatæ agunt, Deus causâ moralis dici potest, cum v. g. flumina agros devastant, lupi oves rapiunt, homines furta et homicidia committunt e. a. siquidem *concursum* ejus sit tantum *generalis et physicus* in nuda entium et virium conservatione et directione generali positus, non vero *specialis* sive *moralis*, cum *ordinarius* tum *extraordinarius*, cum eventus quidam Deo non tantum conservante et univèrse dirigente, verum specialiter operante accidunt.

II.

Ambitus et modus divinæ providentiæ.

§. 181. Ad ea, quæ de divina providentia generatim spectata quæri solent, etiam ambitus, præcipuum objectum et modus ejus, tamquam limes intellectus humani pertinent.

I.)

Divina providentia singula quæcumque in mundo amplectitur.

§. 182. Providentiam Dei res singulas et non tantum earum universitatem neglectis partibus, genera neglectis individuis, maxima neglectis minimis amplecti ex hætenus dictis facile intelligitur. Nam cum omnis vis finita, omnisque virium finitarum connexio intelligente Dei efficientia exsistere ceperit et pergat, unde

om.

omnes virium finitarum status, operationes et usus dependent; cogitari nullo modo potest, aliquid a vi divina ullo momento remotum esse, aut ejus intellectum minimam quancunque mutationem latere, aut ejus voluntati ullam rem, quam homines exilem vel sordidam appellant, vilescere.

§. 183. Et singulorum quidem cura opus est, ut in mundo omnia cunctis finibus satisfaciant et concinnant. Quemadmodum enim intellectus infiniti est singula accuratissime cognoscere, ita sapientiæ et bonitatis summæ est cuncta rectissime et optime perficere, conjungere et administrare, quæ procreavit. Cum præterea intimus sit omnium rerum maximarum et minimarum in mundo nexus, atque a parvis initiis sæpe maximi eventus dependeant, divinam mundi procurationem singulas res amplecti, nec quidquam aut sibi, aut casui, aut mero hominum lubitui in optimo entis optimi opere reliqui statuendum.

§. 184. Tenuiter opponuntur sive Epicureorum argutiæ de perturbanda solitudinibus et molestiis Deorum tranquilla beatitate, et de demittenda hoc modo ad nimis exilia et sordida summi numinis majestate; nam humanarum curarum delationem male affingunt Deo, negliguntque observare ex minimis quæque oriri et constare, minimorum creationem Deum dedignatum non fuisse, omnia cum Deo comparata esse vilia, neque infinitam mentem male affici ab ejusmodi rebus corporeis, quæ nostri magis respectu, quam per se viles et sordidæ appellantur; reges non curant minima, non quod eorum majestate hoc indignum sit, sed quod eorum cura tot rebus non sufficiat. An minima non æque quam summa in natura luculenta potentiæ et sapientiæ vestigia gerunt?

Præcipuum tamen ejus objectum sunt naturæ viventes
et morales.

§. 185. Cum autem omnia, quæ universum complectitur, sentientium et intelligentium causa constituta esse certum sit, sequitur etiam, ut ad has maxime et proprie provida summi numinis cura spectet. In qua re hoc præcipue notandum est, quod Deus earum cuique pro præstantiæ ipsius ratione prospexerit; cum enim tot naturas condiderit innumera varietate diversas, easque per omne subsequens tempus existere voluerit, finis certe fuit illi, ut quævis tantis, quantas capere posset, perfectionibus et oblectationibus frueretur; quo præstantior itaque una natura, quam altera, eo plus boni ei destinatum esse credimus; quare etiam ex eo, quo cetera animantia ab iis, quæ ratione et libertate prædita sunt, longissime sejungit discrimine colligendum est, Deum hujus diversitatis vel maxime rationem habere; atque ideo de his longe alia certe ac de reliquis consilia inivit, idque per omnem sæculorum decursum efficiet, ut, ad quam formatæ sunt, nobiliorem perfectionem aptæ reddantur. Versatur itaque providentia divina vel maxime circa ea entia, quæ intelligentiæ, rationis et voluntatis viribus instructa vivunt in mundo, viventque unquam; et cum rei vel minutissimæ cui sensus tantum et vita inest, tanta cum sapientia et bonitate consultum esse videmus, multo minus entium rationalium ullum, atque ita hominem quemquam in omni sæculorum propagine a Deo neglectum fore, nobis persuadeamus necesse est.

§. 186. Et pro genere quidem humano ejusque singulis individuis excubantem continuo Dei providentiam historia humanitatis jucundissime arguit; manet per omnem durationem eadem sexus utriusque proportio, idem ortus, vitæ ac mortis ordo, neque bellis vastationibusque morborum et passionum, neque quavis actuosa hominum in suam perniciem ingenioforum stultitia et malitia constans naturæ ordo perturbatur. Summi momenti inventa, v. g. pulveris pyrii, artis typographicæ e. a. eo semper tempore facta sunt, quo erant generi humano maxime necessaria. Et quantos fecerunt progressus homines in vera Dei cognitione! In societate civili omnia legislationis et administrationis genera perficiuntur; nec ulli ejus munerum generi apti unquam defunt homines. Homines libertate gaudent, ut ordinem moralem custodire vel deferere, non vero mutare aut tollere possint, prava illorum consilia et molimina mirifice inflectuntur, ita ut ope nexus universalis ex iis semina saluberrimorum eventuum progerminent, maxime vero illud accidit sæpissime, ut in quo quis peccavit contra alterum, in eo contra ipsum deinde peccetur, aut in eo genere, in quo quis peccavit, in ea animi aut corporis parte, qua peccavit, in ea parte animi et corporis puniatur. Luculentissima denique divinæ providentiæ documenta quisque adultus inveniet, si vitæ suæ peractæ historiam velit perlustrare; nempe Deus sæpe consilia nostra ad salutem nostram vel elusit vel promovit, pericula amolitus est, media, quæ in nostra potestate non erant, præparavit, nostramque prosperitatem tum maxime promovit, cum minime cogitavimus e. s. p.

Quæstiones præcipuæ de modo providentiæ divinæ.

§. 187. Ratio humana modum rationemque divinæ providentiæ profundius perspicere, atque exactius definire cupiens hæc maxime quærere solet:

1. Utrum ad existentia continuationem res creatæ eadem vi egeant, qua existentiam primum nactæ sunt, adeoque continuatam quasi creationem requirant, ut esse pergant? quam quæstionem quidam a ratione propter limites ejus potentia in medio relinquendam esse putant. Sed non desinunt unquam entia creata rationem suæ existentia positivam in Deo habere, quia nullo suæ continuatæ existentia momento suapte vi et natura existunt; quare positivo Dei actu esse pergunt, uti creatio est actus positivus, quo res Esse suum primum nactæ sunt; nec ab artificibus humanis, quorum opera, posteaquam perfecta sunt, sponte in statu suo manent, ad auctorem mundi, qui non formæ solum verum etiam materiæ rationem continet, valet argumentatio.

2. Alii a Deo uno creatrice constitutionis mundi actu omnia in eo ita disposita et præparata esse dicunt, ut omnia deinde, quæ fuerunt et futura sunt, naturali ordine et automatico modo sine emendatione, opitulatione et moderatione divina procedant; alii hoc modo solas spectatoris partes Deo tribui queruntur, et propterea continenter operante Dei Numine mundi physici et moralis œconomias perduare et conspirare contendunt, quia hoc cum superioritate Dei tamquam moralis mundi auctoris magis conveniat, atque ad animum nostrum admiratione, reverentia, amore, obedientia et fiducia imbuendum aptum sit,

3. Quonam modo Deus ad ea in homine, quorum ejus libera voluntas effectrix est, ad ejus agendi consilia, decreta, indeque pendentes mores et actus singulares, salva libertate, salvo merito vel reatu, et salva sua sanctitate concurrat, hæcque dirigat, nimirum bonos excitet, promoveat, malos impediat, speciatim ratio sibi relicta declarare nequit; universim salva salutari de providentia divina persuasione hætenus fundata et imposte-
rum fundanda hoc statuere potest, Deum per legistationem rationi insitam, atque per morum naturæ humanæ convenientem et salubrem, vel repugnantem et perniciosam indolem illos promovere, hos impedire, adeoque salva libertate et sanctitate dirigere.

ARTICULUS ALTER.

De providentia Dei speciatim tamquam morali
mundi regimine.

Recensio et ordo tractandorum.

§. 188. Cum perfectio moralis et ei adæquata felicitas mentium creaturarum sit supremus totius creationis scopus et creatoris finis, intelligitur Deum in illis nullo modo deficere posse, quæ ad consequendum hunc finem requiruntur, quo relate ad genus humanum tria pertinent nimirum regimen Dei morale, animi humani immortalitas, et revelationis divinæ auxilium, quarum rerum consideratione nostra de providentia divina persuasio magis confirmatur, et plane consummatur.

I.

Imperium seu regimen Dei morale.

§. 189. Inprimis perspicere debemus, Deum esse summum omnium entium moralium imperantem et dominum. Imperium divinum arguit existentiam regni et civitatis Dei; est vero regnum universe complexus entium iisdem legibus adstrictorum, quod si entia ejusmodi sunt moralia, atque iisdem legibus moralibus teneantur, eorum complexus constituit regnum morale in mundo; aliorum entium regna sunt, vel regna sphaerica, vel regna naturæ, eorumque regimen dicitur physicum.

§. 190. Illud ens morale in regno morali, quod est principium existentiae legum communium, earum sanctionis et executionis, dicitur Imperans et Rector, cetera entia moralia, quæ legibus tenentur, dicuntur subditi; et quidem qua principium existentiae legum, quibus subditorum libera voluntas regatur et obligetur, dicitur *Legislator*, qua principium originis judiciorum, an consilia et actiones subditorum legibus convenient vel repugnent, quæ judicia imputantia dicuntur, vocatur *Judex*, de quo forum et jurisdictio dicitur, et denique qua principium sanctionis legum, i. e. præmiorum et pœnarum legibus, earumque custodiæ vel transgressioni annexarum, dicitur *Executor legum et sententiarum*.

I.)

Deus est Legislator hominum.

§. 191. Homines, qua entia moralia, quibusdam communibus morum legibus tenentur. Quamprimum enim rationis usum facere, eamque ad ea, quorum ef-

fec.

fectrix libera hominum voluntas est, adhibere incipiunt, conscii efficiuntur dictaminum, seu imperativorum moralium rationis practicæ, qui mores, quæ actionum genera exercenda, quæ vitanda sint; dicat nimirum et imperat ratio voluntati liberæ, ea agendi consilia et genera fovenda et sequenda esse, quæ generalis sentiendi et agendi norma, vel simpliciter, vel sub conditione et adjunctione certa esse possint, seu ratio requirit, ut homines ita agant, ut nunquam secum ipsis pugnent, seu ut faciant, quæ omni respectu pro bonis et convenientibus haberi debeant.

§. 192. Ejusmodi actionum genera dicuntur officia, et actiones ex reverentia legis moralis susceptæ, seu quarum motivum ex lege morali depromptum est, sunt moraliter bonæ, ceteræ tantum legales. Auctor entium moralium, cum sit eo ipso etiam principium rationis, atque legis illius morum, variorumque ejus magis determinatorum præceptorum, legislator etiam est eorum entium, lexque illa morum est lex divina, quam is entibus moralibus tamquam suis subditis continuo promulgat. Inde nascitur conceptus civitatis, in qua Deus est summus imperans, omnia entia moralia vero, adeoque etiam homines subditi sunt, quæ propterea civitas Dei dicitur.

II.)

Deus est etiam judex, et exsecutor suæ legis.

§. 193. Est itaque Deus Imperans et Rector omnium entium moralium. Per eandem rationem, per quam iis legem morum continuo promulgat, efficit præterea non modo, ut sua quæ foveant agendi consilia indeque perfectas actiones, cum illa rationi insita (cordibus

inscripta) lege morum conferant, sibi illa consilia et leges imputent, seque propterea vel absolvant vel condemnent, verum etiam, ut per recti vel pravi conscientiam vel exhilararentur vel excarnificentur, atque jam in hac vita futuræ ætatis non raro vel prosperitate fruuntur vel miseria premantur.

§. 194. Quare iudex est atque exsecutor suæ legis, suarumque, quas in formidabili suæ cujusque conscientie foro fert, exsecutor sententiarum; et quia auctor est tum regni moralis tum naturæ ubique ultimo illud regnum respicientis, naturæ dominus propterea est et dicitur, valet itaque et vult sanctissimus naturæ dominus efficere, ut post hanc vitam naturæ cursus votis proborum continuo opituletur, improborum vero desideriis adversetur, illi ergo beatitate potiantur, hi vero doloribus fodientur.

II.

Immortalitas animorum humanorum.

I.)

Notio immortalitatis animorum humanorum.

§. 195. Imperium Dei personalitatis creaturarum rationalium durationem et æternitatem, adeoque animorum humanorum immortalitatem requirit. Cum vero animos humanos immortales esse dicimus, eos identitatis suæ conscientes et vitæ anteaetæ memores, exutis corporum suorum domiciliis vitam i. e. virium suarum usum in cognoscendi et volendi munere positum continuaturos esse contendimus; quod iudicium perfectionum Dei moralium contemplatione præcipue nixum, ipsius porro animi hu-
mani

mani proprietates comprobant, et naturæ quædam leges generales confirmant.

II.)

Argumenta immortalitatis animorum humanorum.

1.)

A moralibus Dei proprietatibus ducta.

§. 196. Inprimis a Dei sapientia plane alienum est, ut hujus tantummodo terrestris vitæ causa iis animos humanos instruxerit cognitionis, moralitatis et felicitatis viribus ac desideriiis, quorum fines sunt inexhausti et perpetui, quibusque nemo, si vita superesset, multo longius contenderet; maxime cum plurimi mortalium aut ad eam ætatem non perveniant, aut in tali loco et vitæ genere sunt constituti, ut vix ullus etiam sine ipsorum culpæ earum virium usus esse possit.

§. 197. Deinde cum divina justitia nullo modo conciliari potest, ut ea tantum sint recte et prave sentientium ac viventium fata, quæ iis in hac vita accidunt; videmus sæpe viros vere probos negligi, vilipendi, malis externis, paupertate, morbis aliisque ærumnis premi, et ideo quia boni, quia officiorum tenaces sunt ab improbis contemni, deprimi, varioque vexationum et incommodorum genere affligi, alios vero scientia, solertia, probitate, adeoque omni pragmatico et morali pretio destitutos omni prosperitatis tamen genere affluere.

§. 198. Denique cum divini imperii sanctitate nullo modo componi potest, ut animi hominum iisdem quibus eorum corpora tumulis sepeliantur, cum enim sæpissime in hac vita indignissima sit hominum pragmati-

tice et moraliter bonorum ac malorum sortis, expectatione vitæ alterius ejusque factorum sublata, nervi officiorum acerborum, et virtutis laboriosæ omnes inciderentur, et terrores vitiorum sæpe dulcium efficacissimi evanescerent, quod in Rectorem mundi sanctissimum et justissimum nullo modo cadit.

2.)

A proprietatibus animi humani petita.

§. 199. Expectationem, consideratione moralium Dei attributorum excitatam, non leviter fulcit contemplatio *spiritualis et moralis* animæ humanæ naturæ. Si enim certum est quod suo loco (§§. 32. 33.) probavimus subjectum in homine cogitans et volens habere subsistentiam ab ejus corpore diversam, certum etiam est, iis causis, quæ corpori mortem parant et afferunt, animum humanum interire non posse. In ipsa hominis morte nihil fieri observamus, præterquam quod motus mechanici, organici et animales in corpore organico turbentur, impediuntur et tandem penitus cessent; cum vero his motibus et functionibus organorum vitæ animalis, sensus externi et motus arbitrarii illud toto cælo diversum intelligendi et volendi munus, quod personalem hominis vitam constituit, impediatur quidem et pervertatur subinde, non vero contineatur aut promoveatur, sed a causis moralibus efficiatur et adjuvetur, illud munus continuari necesse est, cujus subjectum cum corpore non pereat, sed ei superstes maneat.

§. 200. Facultatum, desideriorum et votorum animæ humanæ ea est qualitas, ut vitæ hujus limitibus nequam se contineri patiantur. Aeternitatis et majoris per-

fectionis et felicitatis moralis cogitatione concepta, si bonus est animus, Deum magis cognoscendi, atque virtutis studium magis intendendi desiderio inflammatus ad arctiorem cum Deo probisque conjunctionem anhelat. Præterea non supposita animi humani immortalitate pugna quædam inter studia animi humani et inter officia hominis necessario existit, cum tempora sæpenumero incidant, ubi studium prosperitatis et officium virtutis ita sibi adversantur, ut, qua ratione conciliari queant, plane intelligi nequeat, spe metuve immortalitatis ademptis, uti cum certissimum periculum adeundum est boni publici causa; si vita futura est, ejus expectatione studium prosperitatis terrestris in favorem virtutis facile cohibebitur.

2.)

Generalibus quibusdam legibus confirmata et contra objectiones vindicata.

§. 201. Denique etiam quædam cosmicæ leges innunt, animum humanum vitæ hujus terminis non esse circumscriptum, adeoque vitæ futuræ expectationem alunt. Nullum nempe ejus, qui solus in animam humanam cadere possit, interitus vestigium in natura deprehendimus, ad virium potius primativarum et vitæ conservationem comparata sunt omnia, quæ morte videbantur sepulta, v. g. plantæ, insecta, semina &c. ea nova atque speciosiori forma prodeunt; propter somni vero, a quo ad sensum revertimur et quasi vitam, similitudinem cum morte, quis non in animo suo augurium aliquod sæculorum perferat?

§. 202. Persuasionis de animorum humanorum immortalitate fundamenta modo allata, propterea plane frustranea esse quidam contendunt, quod memoria et intelligentia, adeoque vita animi a corpore dependeat, quod-

que propter illa argumenta etiam belluarum animæ immortales videri deberent; sed memoria non nititur opinatis perceptionum in cerebro vestigiis, verum in facultate animæ perceptiones iterandi, earumque identitatem cum pristinis cogitandi posita est. Experientia vera hoc tantum docet, corporis vitiis usum facultatum animi impediri et perverti, non vero eum corporis virtutibus et functionibus in anima peragi; alterum argumentum ex principiis allatis plane consequens non est.

III.)

Animorum humanorum in vita futura conditio.

§. 203. Hominis itaque morte tantum vinculum animi et corporis solvitur hocque exstinguitur, animus vero adeoque character moralis hominis defuncti, qui ejus personalitatem proprie absolvit, non deletur, manet itaque superstes. Animorum itaque in vita futura fata, quæ sunt in naturæ domini potestate posita, tum characteri morali, tum sapientiæ et justitiæ divinæ consentanea, Bonorum, qui sunt virtutis cultores, ultra nostrum captum prospera et expetibilia, Malorum vero, qui sunt servi carnis, ultra nostrum captum formidabilia et intolerabilia erunt; quare Boni solum in hac vita sapiunt, qui hunc summum sibi consiliorum et conatum finem constituunt, ut recte faciendo se Deo sibi que constanter pro bent, vitiis vero sceleribusque impie dediti in perniciem suam desipiunt.

III.

Auxilium divinæ Revelationis.

1.)

Notio Revelationis supernaturalis.

§. 204, Quamquam assensus digna et præclara sunt, quæ ratio recta de Deo ejusque regimine morali, atque de hominis dignitate, fine et expectatione aperit et præcipit, facile tamen in eam cogitationem deveniet, quicumque ea paullo accuratius considerabit, ut quærat, an omnia illa ratio sibi relicta docuerit, et an ejus doctrina de Deo, tamquam morali mundi auctore et rectore, de hominis tamquam entis moralis officiis velut Dei mandatis, et de ejus expectatione retributionis in vita futura quam doctrinam ejusque custodiam *religionem* dicimus, sufficiat homini, qui ad veram probitatem et tranquillitatem animi tamquam summum bonum aspirat? Ratio humana sibi relicta, *primo* quasdam saluberrimas veritates ad religionem pertinentes suspicionibus potius delibat, quam inconcussa persuasionem tenet; cujusmodi sunt dogmata religionis, a) de unitate Dei, b) de permissione mali moralis et physici, c) de animorum conditione in vita futura e. a. *Deinde* ratio sibi relicta alias ejusmodi veritates plane non attingit, cujusmodi sunt, dogmata religionis a) de creatione mundi ex nihilo, b) de origine mali radicalis in genere humano, c) de tali, quo perfecte acquiescere possit ratio, quique divina sanctitate et justitia dignus sit peccata commissa expiandi modo, mediis et conditionibus. *Denique* ratio sibi relicta, quæ se in Philosophis maxime exerit, non satis auctoritatis et efficaciz

habet, ut voluntatem humanam variis causis depravatam ad actiones suis doctrinis et imperativis consentaneas inflectat et teneat.

§. 205. Ex his facile intelligitur, religionem, quæ se sola rationis et Philosophiæ certitudine et auctoritate tueatur, quamque naturalem vocamus, licet ipse Deus etiam ejus Magister sit auxilio rationis, qua nos ornavit, et augmento mundi, quem creavit, non tantum vulgo i. e. maxime hominum parti, quæ vitam suam Philosophiæ studio impendere nequit, non accommodatam, verum nulli ad stabilem virtutem et tranquillitatem animi aspiranti sufficientem esse, nisi insuper institutio summa et infallibili auctoritate nixa accedat, qualem sola ratio et Philosophia suppeditare nequit. Ejusmodi institutio, quæ tantum modo supernaturali hominibus obtingere potest, dicitur relevatio divina positiva naturali opposita; quare religio, cujus fons primitivus est relevatio supernaturalis, dicitur relevata, atque uti naturalis, Theologia et Ethica continetur.

2.)

Necessitas, capita et possibilitas revelationis.

§. 206. Atque ex hactenus dictis satis jam perspicitur necessitas revelationis divinæ tamquam institutionis infallibili et efficacissima auctoritate nixæ, qua omnia religionis adeoque Theologiæ et Ethicæ capita ad virtutem et tranquillitatem generis humani necessaria a Deo ipso infallibili et veracissimo immediate patefiant; cujusmodi revelationem ipsi etiam præclarissimi gentiles Philosophi anxie desiderarunt, et ratio humana suæ imbecillitatis et insufficientiæ conscia, atque gentium revelatione destitu-

tarum historias et religiones perlustrans votis, intensissimis exoptare debet. Est quidem ratio humana veri canon, vi cujus nihil ejus legibus repugnans pro vero haberi potest, at veri mensura et limes non est, ita ut ejus potentia omne verum exhauriatur, adeoque rationis finitæ et infinitæ discrimen tolatur.

§. 207. Revelatio verò divina tum eas veritates, quas ratio suapte vi nunquam attigisset, tum etiam eas, quas hæc quidem attingere, at non tam mature proferre, neque per se satis firmo assensu tenere potuisset, patefacere debet. Quæ supernaturalis institutio, sicut miraculum, universe nihil continet, quod aut attributis divinis, aut principiis cognitionis humanæ repugnet, adeoque possibilis est; atque cum Deus tamquam Rector generis humani etiam Magister et educator ejus esse debeat, quod quidem etiam naturaliter, i. e. per rationem et per universi constitutionem est, institutum perenne stabilire debuit, quo religio quam latissime pertineret atque ejus puritas et efficacia conservaretur.

3.)

Criteria et existentia genuinæ revelationis.

§. 208. Ut verò reapse a Deo profecta videri debeat doctrina, quæ ab eo revelata esse dicitur:

1. Nihil quod iis, quæ certo ratio constituit, adeoque necessariis cogitandi legibus contrarium contineat; ratio et revelatio utique eundem agnoscunt auctorem, nec posterior alio, quam prioris solo fructus ferre potest; obscura quædam et incomprehensibilia in ea occurrere nec naturæ nec fini ejus adversatur, atque præclaris finibus prodesse potest.

2. Rationis indigentis et votis opitulari, adeoque certa confirmare, incertis certitudinem impertiri, rationem veri et recti indagatricem in via sua continere, ne ultra limites suos contendat, aut ad falsorum systematum, auctoritatum et sensualitatis servitutem declinet; imprimis vero ad sapientiam et probitatem animi evehendam ac tuendam comparata et omnimode apta esse debet.

3. Miraculis et prophetiis opere impletis tamquam immediatis divini numinis et concursus signis præparari, introduci et propagari debet, quibus nihil est aptius et validius ad docilitatem et fiduciam instruendorum excitandam, cum præstantia revelatæ doctrinæ usu primum cognita et comperta habetur.

Cum igitur revelationis necessitas et possibilitas extra omne dubium posita sit, cum ipsi etiam gentiles Philosophi Socrates, Plato aliique eam exoptaverint, dubitari nequit, quin ea a Deo hominibus reapse jam facta sit, quandoquidem potentissimus et sapientissimus generis humani gubernator nihil eorum possit prætermittere, quæ ad moralitatem et felicitatem generis humani fundandam et tuendam necessaria sunt. Poterat nimirum Deus viros numine suo adflatos plurima docere, eorumque ministerio Theologiam et Ethicam humano generi saluberrimam promulgare, et institutum, quo posterorum mentes et animi saluberrima religione imbuantur, condere.

Quin immo reapse promulgavit et condidit, quod miracula Moïsis, prophetiæ opere impletæ, et opera Christi ejusque Apostolorum admirabilia testantur, ut adeoque in libris veteris et novi testamenti reapse genuina divina revelatio contineatur, omnibus illis internis cum negativis tum positivis divinitatis indiciis insignita. Hæc Metaphysicus revelationis necessitate et possibilitate rigo-

rose probatis, et criteriis accurate constitutis universe tantum indicat, atque magistris religionis christianæ, pro rei gravitate accurate ac copiose, atque connexa et solida ratione tractanda reliquit, ne memoria tantum formulis, sed mens et animus consiliis et sententiis imbuatur, atque in vivendo teneatur et regatur.

METAPHYSICES HISTORIA

E T

SCRIPTORES.

§. 1.

Historia originis et variæ conversionis notionum et decretorum philosophicorum de iis, quæ sunt sensu theoretico absoluta, quæque proprie nomine Metaphysicorum veniunt, differt ab historia peculiaris scientiæ de entibus sensu theoretico absolutis, quæ proprie est Metaphysica theoretica. Aliquid theoretice absolutum seu extremum esse debere antiquissimis, jam temporibus rationi philosophanti suboluit; sed celeberrimi eorum quæ sunt indagatores non constituerunt accurate, cur, i. e. quarum rerum in facto positarum causa, adeoque quodtuplex theoretice absolutum supponere debeant, et qua ratione ad aliquam ejus indolis cognitionem assurgere valeant. Sine principio a quo, sine via qua, et sine meta, ad quam contenderent non nisi in aviis et deviis versari aut logodadaliasnectere poterant.

§. 2.

Negari nequit, usque ad Kantii tempora, nullum Metaphysicæ specimen exstare, quod ingenium et ambitum Metaphysicæ tamquam peculiaris scientiæ figeret, ejusque proprias materias ab alienis penitus separatâs apta connexaque ratione traderet; quare si historia quidem Metaphysicorum confici posset, quod hujus loci non est, Metaphysices theoreticæ certe nulla adhuc desiderari potest. Post Kantium tandem Metaphysica theoretica, quæ propie Metaphysica est, et practica, quæ reapse est Philosophia practica prima seu universalis, accurate discerni cepit. Theoretica illa Metaphysica vero vel est dogmatica, cujus ingenio suo redditâ, nativis limitibus circumscriptâ, atque a criticorum accusationibus vindicatâ specimen hic libellus exhibet, vel critica, quam etiam naturæ Metaphysicam appellant.

§. 3.

Defectum historiæ Metaphysices hujus selectior litteratura suppleat; cognoscitur Metaphysices, uti usque ad Kantium pertractata est, constitutio satis ex veterum et recentiorum Metaphysicorum scriptis.

I.

Scriptores Metaphysicæ universæ.

I. 1)

Metaphysica Aristotelico scholastica.

Aristotelis Libri, qui dicuntur *Μεταφυσικῶν* XII. Consilium et argumentum horum librorum exhibet Holl-

mannus in prolegomenis philosophiæ primæ, seu Metaphysicæ, in quibus simul optima occurrit Metaphysicæ Aristotelico scholasticæ historia. Præcipui Metaphysicæ Aristoteleæ commentatores sunt: 1) Petri Forsecæ Commentarii in libros metaphysicorum Aristotelis. Lugduni 1590. III. Tomi. 4. 2) Ernesti Sonneri Commentarius in libros Metaphysicorum Aristotelis. Altdorffii 1657. 3) Christiani Dreieri Sapiencia, seu Philosophia prima ex Aristotele aliisque commentatoribus conscripta. Regiomontii 1644. 4) Franc. Suarezii Disputationes metaphysicæ. Franc. Patricii discussiones peripateticæ.

II.)

Metaphysica Leibnitio - Wolfiana.

Leibnitiana ad Metaphysicam spectantia sunt tum ipsa in collectione O. O. ejus a Durens curata, tum imprimis Theodicea, Nouveaux Essays, et principia philosophiæ more geometrico demonstrata a Hanschio Franc. et Lips. 1728. 4. Wolfii vernünftige Gedanken von Gott, der Welt, der Seele des Menschen, auch allen Dingen überhaupt. Frankf. und Leipz. 1720. 8. Ejusdem: Anmerkungen darüber, ibid. 1724. 8. Georg. Bernardi Bilfingeri Dilucidationes philosophicæ de Deo, anima humana, et Mundo et generalibus rerum affectionibus, 1768. 4. Alexander Gottl. Baumgarten Metaphysica, Edit. 3. Halæ 1763. Georg. Friedr. Meier Metaphysik. 4 Theile, Halle 1765. J. A. Eberhard Kurzer Abriss der Metaphysik. Halle 1794. 8. Jo. Ern. Guneri Institutiones metaphysicæ. Hafniæ et Lipsiæ 1757. 8.

III.)

Metaphysica eclesiastica.

Joach. Georg. Dariesii Elementa metaphysices. Edit. 3. Jenæ 1753. Justi Christian. Hennings Compendium metaphysicum. Jenæ 1768. 8. Franc. Hutcheson Compendiaria metaphysicæ institutio. Argentorati 1776. 8. Joan. Ern. Schuberti Institutiones metaphysicæ. Helmst. et Halæ 1762. Christ. Aug. Crusii Entwurf der nothwendigen Vernunftwahrheiten. Leipz. 1766. Ant. Genuensis Elementa metaphysicæ. Venet. 1762. 4 Tomi. Principiorum metaphysicorum nova dilucidatio Auct. Kant. Regiomonti 1755. 8. Godofredi Plouquet a) Principia de substantiis et phænomenis. Franc. et Lips. 1764. b) Elementa philosophiæ contemplativæ. Stuttg. 1778. Joh. Bernh. Basedow Philalethie. Altona 1764. 2 Theile. Joan. Georg. Henr. Federi et Joan. Aug. Henr. Ulrich Institutiones germanicæ et latinæ. 1797. 1792. Platners philosophische Aphorismen. Erster Theil. Leipz. 1793. 8. Storchenauii, Stattleri, Zallingeri, Horvatii libri metaphysici. Istituzioni di Metaphysica di Francesco Soave, Venetia 1801. Metaphysica. Auctore Josepho Capocafale. 2 Tomi. Neapoli 1800. Edit. 3.

IV.)

Metaphysica critica ejusque adversarii.

Im. Kant Prolegomena zu jeder künftigen Metaphysik. Riga 1783. Jacob kritische Anfangsgründe der Metaphysik. Halle 1800. C. Chr. Erh. Schmid Grundriss der Metaphysik. Altenburg 1799. Joh. Neeb System der kritischen Philosophie, 2. Theil, materielle Phi-

Philosophie. Bonn und Frankfurt 1795. Pörschke Metaphysik der Natur. Königsberg 1800. J. K. Wezel Propädeutik zum Studium der Metaphysik. Leipz. 1802. Versuch über Gott, die Welt, und menschliche Seele (von Korrodi). Berlin und Stettin 1788. 8. Gottl. Ernst Schulze a) Grundriß der philosophischen Wissenschaften. Zweyter Theil, Metaphysik. Wittenberg und Zerbst 1790. 8. b) Kritik der theoretischen Philosophie, zwey Theile. Hamburg 1801. Paul Joh. Sigm. Vogel Ideen zu einer Metaphysik des Verstandes. Erster Theil. Nürnberg 1801. W. L. G. Freyherr von Eberstein Geschichte der Logik und Metaphysik bey den Deutschen. Erster Theil 1794. Zweyter Theil 1799. Halle. Preisschriften über die Frage: Welche Fortschritte hat die Metaphysik seit Leibnizens und Wolfens Zeiten in Deutschland gemacht, von Schwabe, Reinhold und Abicht. Berlin 1796.

II.

Scriptores Partium Metaphysicæ.

I.)

Scriptores Ontologiæ.

Christiani Wolfii Philosophia prima seu Ontologia 1730. 4. Sam. Christ. Hollmanni prima Philosophia. Gættingæ 1747. 8. F. C. C. L. B. a Creutz Considerationes metaphysicæ, Francofurti 1760. 8. Columb. Roeffer Institutiones Metaphysicæ. Wirceburgi 1776. J. H. Lambert Architectonik. 2 Theile. Riga 1771. Sam. Christ. Hollmanni Pneumatologia, Psychologia et Theo.

Theologia naturalis pertractatio paulo uberior. Göttingæ 1780. 8.

II.)

Scriptores Cosmologia.


Christiani Wolfii Cosmologia generalis. 1731. 4. Essai de Cosmologie, par M. de Maupertuis. A Berlin 1750. 8. J. H. Lambert kosmologische Briefe über die Einrichtung des Weltgebäudes, Augsburg 1761. 8. Dalberg Betrachtungen über das Universum, Erfurt 1773. Gierig kosmologisches Lehrbuch für die Jugend. Dortmund 1787. 8. Saint Pierre les etudes de la Nature. Paris 1788. Walter Betrachtungen über die Natur, 3 Theile, Weimar 1800—1801. Guatimozin über Welt, Erde und Menschen, Berlin 1801.

III.)

Scriptores Theologia naturalis.

G. G. Leibnitii Tentamina Theodiceæ. Francof. et Lips. 1739. 2 Tomi. Christiani Wolfii Theologia naturalis, 2 Tomi. 4. 1739. Wilhelm Derham Physikotheologie und Astrotheologie. Hamburg 1764—1765. H. S. Reimarus Abhandlungen über die vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion, Hamburg 1781. C. W. F. Walch Grundsätze der natürlichen Gottesgelahrheit, Göttingen 1779. 8. J. E. W. Jerusalem Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion. Erster Theil. Braunschweig 1768. Carl Bonnet Betrachtungen über die Natur, Wien 1790. H. Janson Compendium Theo-

Theologia naturalis. Hafnia 1778. 8. Sebast. Mutschelle
 Kenntniß und Liebe des Schöpfers aus der Betrachtung
 der Geschöpfe. München 1785. Villaume Philothee,
 oder die ersten Lehren der Religion. Leipzig 1788. 5
 Theile. 8. Von dem Daseyn und den Vollkommenhei-
 ten Gottes. Aus dem Engl. des Johann Abernethy, ab-
 gekürzt von S. Grynaus. Basel 1781.



E r r a t a.

Pag.	7	lin.	4	loco	ect	lege	est
—	8	—	6	experientia	adde	superiora.	
—	16	—	17	loco	multiplicatis	lege	multiplicitatis.
—	17	—	15	mechanici	adde	causæ.	
—	25	—	22	loco	cogitationum	lege	cogitationem.
—	33	—	16	—	possunt	—	possint.
—	52	—	17	—	infinita	—	finita.
—	—	—	21	—	prima	—	primæ.
—	54	—	5	—	et	—	ad
—	—	—	21	—	quod	—	quoad
—	85	—	25	—	agendi	—	agendique.
—	92	—	—	—	quo	—	quod.
—	102	—	6	—	tantummodo	—	tantum modo.
—	115	—	7	—	imperfectæ	—	imperfecta.
—	117	—	26	—	earum	—	ejus.
—	132	—	11	post	sint	pone	,
—	141	—	8	loco	certa	lege	certe.

1890	1891	1892	1893	1894	1895	1896	1897	1898	1899	1900	1901	1902	1903	1904	1905	1906	1907	1908	1909	1910	1911	1912	1913	1914	1915	1916	1917	1918	1919	1920	1921	1922	1923	1924	1925	1926	1927	1928	1929	1930	1931	1932	1933	1934	1935	1936	1937	1938	1939	1940	1941	1942	1943	1944	1945	1946	1947	1948	1949	1950	1951	1952	1953	1954	1955	1956	1957	1958	1959	1960	1961	1962	1963	1964	1965	1966	1967	1968	1969	1970	1971	1972	1973	1974	1975	1976	1977	1978	1979	1980	1981	1982	1983	1984	1985	1986	1987	1988	1989	1990	1991	1992	1993	1994	1995	1996	1997	1998	1999	2000	2001	2002	2003	2004	2005	2006	2007	2008	2009	2010	2011	2012	2013	2014	2015	2016	2017	2018	2019	2020	2021	2022	2023	2024	2025	2026	2027	2028	2029	2030	2031	2032	2033	2034	2035	2036	2037	2038	2039	2040	2041	2042	2043	2044	2045	2046	2047	2048	2049	2050	2051	2052	2053	2054	2055	2056	2057	2058	2059	2060	2061	2062	2063	2064	2065	2066	2067	2068	2069	2070	2071	2072	2073	2074	2075	2076	2077	2078	2079	2080	2081	2082	2083	2084	2085	2086	2087	2088	2089	2090	2091	2092	2093	2094	2095	2096	2097	2098	2099	2100
1890	1891	1892	1893	1894	1895	1896	1897	1898	1899	1900	1901	1902	1903	1904	1905	1906	1907	1908	1909	1910	1911	1912	1913	1914	1915	1916	1917	1918	1919	1920	1921	1922	1923	1924	1925	1926	1927	1928	1929	1930	1931	1932	1933	1934	1935	1936	1937	1938	1939	1940	1941	1942	1943	1944	1945	1946	1947	1948	1949	1950	1951	1952	1953	1954	1955	1956	1957	1958	1959	1960	1961	1962	1963	1964	1965	1966	1967	1968	1969	1970	1971	1972	1973	1974	1975	1976	1977	1978	1979	1980	1981	1982	1983	1984	1985	1986	1987	1988	1989	1990	1991	1992	1993	1994	1995	1996	1997	1998	1999	2000	2001	2002	2003	2004	2005	2006	2007	2008	2009	2010	2011	2012	2013	2014	2015	2016	2017	2018	2019	2020	2021	2022	2023	2024	2025	2026	2027	2028	2029	2030	2031	2032	2033	2034	2035	2036	2037	2038	2039	2040	2041	2042	2043	2044	2045	2046	2047	2048	2049	2050	2051	2052	2053	2054	2055	2056	2057	2058	2059	2060	2061	2062	2063	2064	2065	2066	2067	2068	2069	2070	2071	2072	2073	2074	2075	2076	2077	2078	2079	2080	2081	2082	2083	2084	2085	2086	2087	2088	2089	2090	2091	2092	2093	2094	2095	2096	2097	2098	2099	2100

